DE

SEBASTIANI BRANT SERMONE

THESIM PROPONEBAT

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

P. BESSON

PROFESSOR AGGREGATUS UNIVERSITATI GALLICÆ

ARGENTORATI

EX TYPIS SOCIETATIS TYPOGRAPHICÆ ALSATICÆ

IN FORO ST. THOMÆ

MDCCCXC

DE

SEBASTIANI BRANT SERMONE

THESIM PROPONEBAT

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSIS

P. BESSON

PROFESSOR AGGREGATUS UNIVERSITATI GALLICÆ

ARGENTORATI

EX TYPIS SOCIETATIS TYPOGRAPHICÆ ALSATICÆ

IN FORO ST. THOMÆ

MDCCCXC

VIRO OPTIMO, DOCTISSIMO

A. LANGE,

Docendæ linguæ germanicæ professori in lyceo Ludovici Magni
et in Facultate litterarum parisiensi

Hoc gratissimi animi pignus

D. D. D.

AUCTOR.

INDEX.

DE SEBASTIANI BRANT SERMONE

PRÆFATIO

Historiam totam linguæ germanicæ divisit Jacobus *Grimm*, auctor ille et princeps grammaticæ germanicæ, in partes tres, quarum primam *Althochdeutsch*, scilicet sermonem veterem, secundam *Mittelhochdeutsch*, scilicet sermonem mediævalem, novissimam *Neuhochdeutsch*, scilicet sermonem recentiorem vocavit. Licet partitio illa omnibus qui vestigia hujus grammatici secuti sunt ita sit probata út omnes, nullo excepto, appellationes illas receperint, multum abest ut usus dicendi subito immutatus et parvum intra temporis spatium formas novas adeptus inter quamque periodon et insequentem certos quasi fines determinet. Immo sermo germanicus sensim pedetentimque e priore usu ad novum transiit. Quamquam inter veterem linguam et sermonem medii ævi sine dubio multi gradus interjecti sunt, pluribus e causis formæ illæ loquendi intermediæ nobis non tam propinquæ sunt, nec tam dilucide apparent, quam varii usus dicendi qui eo tempore viguerunt quo lingua medii ævi in recentiorem transiit sermonem. Sed in his non diutius immorati, ad propositum nostrum pergamus.

Nemo scilicet est cui non mirum videatur, quam ingens temporis spatium interpositum sit inter novissima scripta quæ merum exprimunt usum mediævalem et prima quæ sermonis recentioris speciem proprie præbent. Attamen non dubium est quin intra tempus illud plus quam ducentorum quinquaginta annorum multi ad scribendi studium se contulerint,

nec desunt litterarum monumenta quæ hoc testentur. Desiderari autem hic aliquid in grammatica sua intellexit et ipse Jacobus *Grimm*. Id enim tale est apud eum : « Inter descriptionem sermonis mediævalis et recentioris quam exposui, desiderabitur aliquid : variæ enim transitiones et diversi gradus e scriptis sæculi decimi quarti, necnon trium sæculorum quæ sequuntur, colligi et explicari poterant[1]. » Quodsi quæritur quinam fuerint intermedii gradus illi, considerandum est primum quomodo purus sermo mediævalis formatus sit.

Usus dicendi scilicet mediævalis nihil erat nisi sermo urbanus Germaniæ superioris. In hac enim regione exortus est, in hac præstantissima opera genuit. Exemplo summorum scriptorum exstitit norma quædam dicendi et scribendi quam humanissimus quisque in scribendo et in dicendo servabat. Omnes quippe ii qui liberaliter instituti erant tunc temporis hoc præcipue spectaverunt, ut puro et emendato dicendi genere uterentur, sic scribere conati, ut sermo omnia exueret quæ dialectum redolebant, sic loqui, ut nulla resonaret in ore rusticitas. Etenim dialectum præ se ferre rudis erat hominis et indocti. Quicunque urbanus haberi volebat et non illiteratus, ut moribus et institutis, sic usu dicendi equites imitatus, exempla quæ apud *Hartmann von Aue*, *Wolfram von Eschenbach*, *Gottfridum Argentoratensem*, *Walther von der Vogelweide* inveniebat diligenter sequebatur. Postquam vero ordo equestris a virtute majorum degeneravit, sermo quoque qui ordinis illius proprius fuerat, et ad quem omnes antea spectabant, vitiari cœptus est. Jam non equites tantummodo nec qui equitum dicendi usum imitabantur ad scribendi studium se contulerunt, sed plebeii qui rudem et incultam provinciæ suæ dialectum in scriptis suis exhibuerunt. Multi quidem auctores

[1] « *Zwischen meiner darstellung des mittel- und neuhochdeutschen wird eine lücke empfindlich seyn : manigfaltige übergänge und abstufungen hätten sich aus den schriften des vierzehnten so wie der drei folgenden jahrhunderte sammelen und erläutern lassen.* » J. *Grimm*, *Deutsche Grammatik*, I², p. X.

ad amussim prioris usus scribere conabantur, immo se eum servare putabant, sed cum cujusque provinciæ dialectus magis magisque invaderet, prior sermo dissolutus est.

Cum res humanæ perpetuo mutentur, illa tempora ut historiarum scriptorem sic philologum maxime tenent et delectant, quæ maximas commutationes rerum aut sermonis præbent. Quare nemo est profecto quin intelligat quanti momenti sit, temporis illius quo merus usus mediævalis paulatim obsolevit et dialecti provinciarum in litteras invaserunt scriptorem eligere, cujus exemplo illustretur quoad vetus norma dicendi servata sit, quoad violata. In tota autem ætate hac intermedia, nescio an nullus inveniri possit præstantior et dignior cui studium detur quam Sebastianus *Brant*. Cujus opera et in Germania incredibilem habuerunt auctoritatem, et in omnes fere orbis terrarum linguas translata sunt. Itaque illum elegimus cujus sermonem diligenter perscrutaremur, pro virili parte conati adjuvare ut ætas illa germanicæ linguæ accuratius pernosceretur.

Sebastianus *Brant* scilicet, cujus in opere præstantissimo et longe notissimo, *Navi Stultifera*, nitetur dissertatio nostra, natus est Argentorati, quo anno non omnino certum est. Cum enim omnes scriptores qui vitæ ejus memoriam composuerunt, dissentiente nullo, annum indicent millesimum quadringentesimum quinquagesimum octavum p. Chr. n., si epitaphio credas quod tumulo inscriptum erat, uno anno major fuerit: nam poetam, anno millesimo quingentesimo vigesimo primo quo mortuus est, sexagesimum quartum annum egisse declarat.

Jam decem annos natus patrem amisit, quo factum est ut institutio filii matri soli curæ fuerit. Ut artibus erudiretur quibus ingenia excitantur, eum mater *Schlestadt* in civitatem misit, ubi florebat tunc temporis solus per totam Alsatiam ludus discendi in quo homines eruditi artes liberales docebant. Præerat huic scholæ vir satis notus cui nomen erat *Dringenberg*. Postquam rudimenta artium didicit, Basileam se contulit (a. MCDLXXV p. Chr. n.), cujus civitatis in universitate doc-

trinæ se dedere perseveravit. Cum autem primum in facultate artium studia litterarum exercuisset et baccalaureus factus esset, postea jus didicit, et, per ordinem licentiam juris canonici adeptus (anno MCDLXXXIV), doctor in utroque jure provectus est. Deinde nonnullos annos juris scientiam Basileæ professo facultas data est in patriam redeundi. Etenim commendatione amici sui, Geileri Cæsarimontani, Argentoratum accitus, primum doctoris et advocati municipalis (anno MDI), deinde negotiorum curatoris (anno MDIII) munere functus est. Hos honores adeptus, *Brant* imperatorem Maximilianum aliosque principes ad negotia reipublicæ argentinensis procuranda sæpenumero legationibus adiit; cumque apud imperatorem maxima in gratia esset, rem civitatis optime agebat. Postquam anno millesimo quadringentesimo octogesimo quinto scriptor noster uxorem duxit, septem procreavit liberos. Sede Argentorati collocata, in vita ejus nihil eminet dignum quod notetur. Sicut supra narravimus, *Brant* anno millesimo quingentesimo vigesimo primo mortuus est.

Cum autem Basileæ non ita pridem moraretur, consuetudine cum typographis facta, libros complures curavit edendos, præcipue tractatus de jure et opera veterum scriptorum latinorum. Ipse *Brant* carmina latina scripsit quæ in diversissimis rebus versantur : modo imperatorem romanum summam totius orbis terrarum dominationem habere fas esse contendit, modo Virginem concinit et immaculatam ejus conceptionem cantu prosequitur, modo divi cujusdam vitam versibus narrat, aut mundi delicias vituperat.

Prima autem ejus opera germanice conscripta, quorum præstantissima inscribuntur *Cato*, *Facetus*, *Moretus*, *Thesmophagia*, præceptiva quidem et moralia, e carminibus latinis translata sunt quæ ipse composuerat : verborum compositio primum dura et aspera, sermonemque latinum nimis imitata, sensim expeditior fit et jucundior. Denique, postquam multis translationibus orationem mollem reddidit, *Brant* librum germanice scribere ausus est qui non de latino converteretur, *Navim*

stultiferam scilicet (a. MCDLXXXXIV), carmen satiricum in quo, sub imagine stultitiæ, vitia et errores deridet quæ naturam humanam deformant. Hoc autem opus, cum e nonnullis scriptoribus et sacris et profanis excerptum sit, non sane novum et proprium appellari potest. Inter hos, multa sumit præcipue a Latinis, Ovidio, Juvenali, Persio, Catullo, Seneca, nonnulla a Cicerone et Boetio. Plutarchum, a quo longum caput de educatione sumpsit, versione latina tantum novisse videtur. E sacris deinde voluminibus, vetus testamentum ei pleraque exempla et plerosque locos suppeditat; denique nonnulla a Corpore juris canonici mutuatur.

Sed quærat quisquam curnam hoc carmen *Navis Stultifera* inscribatur. Etenim auctor fingit navim instrui in quam omnes stulti imponuntur qui errores et vitia humana exprimunt. Videtur autem hoc scriptori tunc tantum succurrisse cum major jam operis pars composita erat; nam in priore parte poëmatis, exceptis nonnullis locis, stulti simpliciter deridentur, nulla navis mentione facta. Quin in altera parte libri pleraque capita cum navigatione stultorum non concinunt. In procemio autem, quod liquet postea esse compositum, *Brant* classem esse ornatam narrat in quam stulti imponantur, et currus, plaustra, vehicula enumerat quæ coguntur ut illi terrestri quoque itinere convehantur. Infra autem mentio fit navis unius, quam ipsam auctor plerumque oblitus esse videtur, quippe quam in paucissimis capitibus commemoret. Classis contra quam procemium descripserat, in duobus tantum totius operis capitibus exstat, scilicet in capite centesimo tertio ubi breviter memoratur, denique in capite centesimo octavo in quo similitudo repetitur et explicatur: scriptor enim narrat classem stultiferam, quæ cursum in regionem dirigebat quam poeta *Schlaraffenland* appellat, naufragium esse passam et nautas vectoresque miserabiliter periisse. Elucet præterea, et *Brant* ipse operam dedit ut id explicaret (in præfatione scilicet quam auctor noster *Navi stultiferæ* a *Lochero* in latinum versæ præscripsit), navigatione hac vitam inconditam homi-

num levium et stultorum figurari. Caput hoc centesimum octavum igitur opus totum concludere debuisse videtur: nihilominus autem sequuntur sex capita quorum ultimum, «*homo sapiens*» inscriptum, e carmine latino versum quod olim Virgilio tribuebatur, nullo modo ad stultos pertinet, sed hominis vere sapientis rationem vitæ explicat.

Ex his satis elucet quam non cohæreat hoc opus, quam auctor non secutus sit nec explicuerit imaginem qua poema constare debebat. Sebastiani *Brant* liber tamen ab omnibus probatus est : non tantum in Germania sæpe editus, sed iterum atque iterum latine, gallice, anglice redditus, mox per totum fere orbem terrarum celeberrimus factus est. Quare nullum profecto librum eligere potuimus inter omnes tunc temporis editos qui magis dignus fuerit cujus sermonem perscrutati explicaremus.

LIBER PRIMUS

DE SONIS, SIVE DE VOCALIBUS ET CONSONIS

CAPUT I

DE VOCALIBUS

Inter usum dicendi mediævalem et novum hoc præcipue interest quod vocales et diphthongi partim vices alternaverunt. Vocalium enim promissarum *î*, *û* quas usurpabat sermo medii ævi vicem præstant in lingua recentiore diphthongi *ei*, *au*. E contraria parte, *uo*, quam diphthongum sermo mediævalis multis in vocabulis præbebat, in unum sonum *u* coaluit apud recentiores pariter ac *iu* in *ü*. *Brant* autem, dialectum provinciæ suæ secutus, quæ temporibus adhuc nostris vocales *î*, *û* pro diphthongis *ei*, *au* retinuit, novæ prolationi non favet. Nec mirum : notum enim est hanc novam pronuntiationem, in ea parte Germaniæ quæ vergit ad orientem et meridiem ortam, tarde post multa secula in iis provinciis receptam esse quæ in meridiem et occidentem spectant. Ad harum scilicet provinciarum dialectum respiciebat præcipue sermo urbanus qui dicitur *Mittelhochdeutsch*. Itaque mirari non debemus eas usum dicendi mediævalem diu retinuisse.

Hæc consulto præmisimus, ut jam nunc appareat quantum distet ab usu recentiore, congruat contra cum usu mediævali sermo Sebastiani *Brant*. Nunc autem ordinem secuti quem

grammatici communiter servant, primum vocales deinde consonas vicissim singulas tractabimus.

A. Brevis *a* vocalis apud *Brant* in iisdem vocabulis exstat in quibus usus mediævalis eam exhibet. Exemplis hoc probare nescio an inutile sit. Promissam autem *a* vocalem servavit quidem in nonnullis exemplis scriptor noster, velut: *gach* (rapidus, pronus) 6, 58[1]. — *har* (capillus) 4, 9. — *jar* (annus) 6, 39. — *nach* (post, secundum) 28, 15. — *rach* (ultio) 14, 16. Multo sæpius contra eam in *o* vocalem transiisse, secundum usum dialecti alsaticæ exemplis infra probabimus[2]. Omissa *periphonia* (*Umlaut*), exstat *a* vocalis in vocibus nonnullis pro *e*, velut: *erzalen* (narrare, enumerare) 56, 33. — *schwartze* (color niger) 101, 35. *waltzt* (volvit) 37, 31. Quin etiam in vocalium *ë* et *o* vicem succedere nonnumquam *a* vocalem, hæc probant exempla: *har noch* (postea) 13, 21 et multa alia vocabula, quæ cum adver- bio *har* composita sunt. — *gnasz* (comes) 82, 33[3].

Æ, E. Sermo mediævalis vocalem *e* habebat quadruplicem: *ê* promissam, *e* quæ brevem *a* vocalem *periphonicam* (*umgelautet*) exprimebat, *ë* litteram quam per *fractionem* (*Brechung*) *i* vocalis genuerat[4], denique diphthongum *æ* quæ vocalem *a* promissam cum *periphonia* figurabat. Obsolescente priore usu, quantum inter vocales illas interesset Germani jam non senserunt, vocalibusque illis pariter prolatis, scriptores quatuor signa intermutata nullo discrimine usurpaverunt. Sic factum

[1] Numeri qui vocabulum aut locum citatum sequuntur caput et versum indicant in editione *Navis Stultiferæ* quam Fridericus *Zarncke* protulit (Lipsiæ 1854.)

[2] Ad recentiorem dialectum alsaticam illustrandam, evolvimus *Arnoldi* comœdia quæ inscribitur *Pfingstmontag*, e qua locos nonnullos protulimus ad usum qui in hac exstat cum sermone Sebastiani *Brant* comparandum.

[3] Utrique mutationi favisse dialectum alemannicam testatur Carolus *Weinhold* in Grammaticæ mediævalis §§ 44. 60. — Gramm. alemann. §§ 11. 79. 112.

[4] Nonnullis tamen in vocabulis *ë* vocalem esse primitivam, neque ex *i* vocali nasci testatur *Paul* in Gramm. mediæv. § 42 nota.

est ut *Brant* quoque, quæ distinctio sit litterarum *e*, *ë*, *ê* et *æ* omnino oblitus, permisceat eas et confundat. Vocalem geminatam *ee* quidem tantum pro littera *ê* promissa usurpat, velut in *ee* (matrimonium) 33, 6. — *ee* (prius) 28, 19. — *Wee* (dolor) 28, 20. Litteras autem *e*, *ë*, *ê*, *æ* a scriptore nostro nullo modo discerni, exempla quæ sequuntur probabunt: Pro *ë* littera sine discrimine *æ* aut *e* usurpatur: *gerdt* (cupit) 43, 26; *gært* 57, 81. — *nemen* (capere) 46, 84; *næmen* 46, 81. — *schlecht* (simplex, malus) 4, 2; *schlæcht* 18, 29. — *Weg* (via) 42, 4; *Wæg* 22, 26. — Licet pro *ê* vocali nonnulla vocabula bivocalem *ee* exhibere supra viderimus, hæc vocalis sæpius per *e*, nonnumquam per *æ* exprimitur: *credentz* (consuetudo, familiaritas) 13, 79. — *der eren* (honorum) 59, 2. — *gemert* (auctus) 42, 6. — *We* (dolor) 31, 23. — *Syræn* (Siren) 13, 54. —Vocalem *e* deinde, pro brevi *a* vocali *periphonica* in sermone mediævali usurpatam, Sebastianus *Brant* sæpissime servat; nonnumquam tamen diphthongus *æ* in vicem litteræ *e* succedit: *verblænnt* (obcæcatus) 13, 91 — *das krefftigst* (validissimum) 13, 93. — *die leng* (diu) 25, 18. — *lescht* (exstinguit) 90, 15. — *mægten* (ancillis) 97, β [1]. — *sterck* (vis) 22, 11.

Diphthongus *æ* denique partim servatur, partim *e* vocalis in locum ejus subit, ac sic quidem ut idem vocabulum modo per *æ* modo per *e* vocalem efferatur. Quam confusus Sebastiani *Brant* usus sit nos nonnulla exempla docebunt: *mær* (rumor) 11, 27; *mer* 11, 9. — *syn næhsten* (proximum) 56, 61; *syn nechsten* 10, 17. — *schwær* (gravis, difficilis) 48, 2; *schwer* 48, 62.

Nonnulla autem vocabula in sermone medii ævi vocalem puram *a* aut vocalem *e periphonicam* sine discrimine exhibebant. Cum sermo urbanus recentiorum vocalem puram prædiligat, dialectus alsatica vocali per *periphoniam* immutatæ et nunc favet, et temporibus scriptoris nostri favisse videtur.

[1] Litteræ græcæ α, β, γ versus significant qui, quasi procemia quædam, caput quodque Navis stultiferæ præcedunt.

Inveniuntur enim apud eum hæc vocabula : *æsch* (cinis) 54, 15. — *hert* (durus) 19, 33. — *resch* (rapidus) 84, α. — *schætt* (umbra) 66, 116 ; *schet* 45, 3. — *tæsch* (crumena) 83, 121. — *weschen* (lavare) 13, 67. — Quin in vocabulis *Kætz* (felem) 110[a], 182. — *merckt* (forum) 91, 16. — *schnædern* (garrulare) 64, 21 efferendis, *Brant* vocalem *periphonicam* exhibet[1], cum et sermo mediævalis et lingua nova puram vocalem *a* usurpent. Postremo voces *hæher* (carnifex) 42, 21. — *læw*[2] (tepidus) 84, 23. — *spætt* (panus) 21, 5 vocalem *periphonicam* pro *a* promissa habent.

I. Ad *i* vocalem nunc transeamus. Ac primum quidem commemoremus ad hunc sonum exprimendum, sive brevis est sive promissus, sive in diphthongis *ei*, *ie* cum *e* vocali conjungitur, scriptorem nostrum ad arbitrium suum modo *i* modo *y* vocalem usurpare. Rem sic se habere multis probatur vocabulis quæ tum per *i*, tum per *y* elata exstant, velut : [pro *i*] *blindt* (cæcus) 11, 25; *blyndt* 40, 13. — *findt* (invenit) 22, 27; *fyndt* 22, 18; *nit* (non) 14, 33; *nyt* 1, γ. — [pro *î*] : *blibt* (manet) 84, γ; *blybt* 42, 26. — *licht* (facilis —e) 48, 75; *lycht* 64, 8. — *zit* (tempus) 74, 2; *zyt* 25, 21. — [*ie*] *die* (artic. N. Pl.) P[3], 11; *dye* 66, 105. — *liecht* (lumen) 106, β; *lyecht* 86, 50. — *thier* (animal) 1, 34 ; *thyer* 56, 32. — [*ei*] *allein* (solus) 10, 7 ; *alleyn* 30, 2. — *arbeit* (labor) 48, 49; *arbeyt* 48, 68. — *ein* (unus, aliquis) 13, 13 ; *eyn* 13, 11[4].

[1] Cf. Caroli *Weinhold* Gramm. mediævalis §§ 20-21 ; Gramm. alemann. §§ 12. 15. Vocabulum *merk* (*t*) temporibus adhuc nostris in dialecto alsatica exstat. Cf. *Pfingstmontag*, III, 2, v. 112: *Gartnersmärk* (forum olitorium).

[2] Hoc vocabulum in recentiore dialecto argentoratensi figuram *læb* exhibet.

[3] « P » præfationem significat quam Sebastianus *Brant* operi suo præmisit.

[4] Utrum *y* an *i* sæpius occurrat non plane dijudicari potest. Ex iis quæ notavimus apparet tantum *y* litteram multo frequentius quam *i* brevem inveniri ; *i* promissarum contra numerum vocalium *y* numero ferme adæquare. *Ey* diphthongus autem multo sæpius occurrit quam *ei*.

Sermo autem mediævalis *i* vocalem in initio vocabulorum sæpe in *j* consonam commutabat. Scriptor noster voces has modo per *i* modo per *y* vocales, modo per consonam *j* effert, quales sunt: *eim yeden* (cuique) 13, 83. — *jeder* (quisque) 48, 4. — *yetz* (nunc) 5, 17. — *jetzt* 4, 4. — *ior* (annus) 5, 3. — *Ir* (suus) 53, 17. — *jr* 53, 12.

Vocalis i deinde et diphthongi *ie* discrimen sermo mediævalis diligenter servabat. Scriptoris nostri temporibus discrimen illud jam non prolatione esse expressum, eo comprobatur quod *Brant* pro *i* vocali tum *i* tum *ie* usurpat. In vocabulo *vil* (multum) 13, 79. — 37, 18, etc. quidem efferendo, usum sermonis mediævalis secutus est scriptor, cum sermo novus *ie* diphthongum pro *i* vocali usurpet; sed pro *spil* (ludus) 64, 94. — 68, 6. — *Zil* (finis) 13, 88. — 18, 12, quæ erat orthographia sermonis mediævalis, invenimus quoque apud *Brant*: *spiel* 77, 76. — *ziel* 86, 46, quem usum sermo novus recepit.

Ineunte jam capite commemoravimus, in omnibus vocabulis quæ secundum usum medii ævi *î* promissam, apud recentiores contra *ei* diphthongum exhibent, Sebastianum *Brant* vocalem servavisse. E permultis exemplis quæ fere quæque pagina *Stultiferæ Navis* præbet, nonnulla tantum eligemus: *blibt* (manet) 48, 24. — *glich* (similis) 16, 57. — *licht* (facilis) 4, 22. — *stritt* (certamen) 97, 27. — *zit* (tempus) 74, 2.

Quodsi exempla quæ præcedunt in usurpanda *i* vocali cum usu mediævali congruunt, nonnumquam contra Sebastianus *Brant i* vocalem enormiter usurpavit; velut *i* pro *ü* exstat in vocabulo *schitt* (fundit) 6, 15. — pro *iu* in substantivo *frintschafft* (amicitia) 10, 20.

O.) De vocali *o* similia animadverti possunt. In vocabulis enim nonnullis *o* vocalis pura apud *Brant* apparet, quam sermo quoque mediævalis usurpabat, cum usus recentiorum vocalem per *periphoniam* in *ö* mutaverit. Occurrunt sic apud eum præterita *dot* (occidit) 13, 39-40. — *entbloszt* (denudavit) 90, 20 quæ, per *periphoniam inversam* (*Rückumlaut*) orta, in sermone medii ævi usitata erant. Pariter exstant vocabula

offentlich (publice) 50, 2. — *schon* (pulchre) 33, 55. — *ungewonlich* (rarus) 87, 11. — Aliæ autem voces modo vocalem puram *o*, modo *periphonicam* vocalem *œ* exhibent, velut : *hort* (audit) 19, 64 [: *wort*] — *kocher* (pharetra) 13, 26. — *ol* (oleum) 106, β [*wol : ol : sol*]. — *ich vorcht* (timeo) 37, 21. — contra *hœrt* 42, 15. — *kœcher* 13, 32. — *œl* 106, 10. — *vœrchtet* (timet) 93, 6.

Sed in usurpanda *o* vocali, Sebastiani *Brant* sermo multum abest ut constanter cum usu mediævali congruat. Sicut ante dictum est, *a* vocalis promissa persæpe in *o* litteram mutata est. Inter multa exempla quæ apud *Brant* exstant, nonnulla tantum proferemus quæ eadem exhibent vocabula in quibus supra prolatis vocalis *a* apparebat : *goch* (rapidus) 2, 20. — *hor* (capillus) 13, 47. — *jor* (annus) 5, 3. — *noch* (post, secundum) 5, 7. — *roch* (ultio) 40, 27. Licet scriptoris nostri usus parum sibi constet, multo frequentior est tamen apud eum *o* quam *â* vocalis[1]. Multis quoque in vocibus, Sebastianus *Brant* *o* vocalem vices diphthongi *ou*, cum *w* consona sequitur, suscipere voluit. Talia sunt vocabula : *Frow* (mulier) 13, 1. — *howen* (cædere) 19, 77. — *schowen* (spectare) P, 107. — *towen* (concoquere) 33, 16[2]. Quin etiam pro *öu* occurrit *o* vocalis in verbo *trowen* (minari) 39, 5.

Œ aut Ö vocalem *periphonicam* in vocabulis quibusdam nonnumquam *o* vocalis puræ vices suscipere, exempla supra prolata testabantur. *Periphoniam* amplius esse grassatam probant vocabula velut : *er klœppfft* (pultat) 108, 96. — *sœrglich* (periculosus) 84, 12. — Velut *o* pro *ou* occurrit, invenitur

[1] In vocali *o* pro *a* promissa usurpanda dialectus quoque recentior alsatica cum usu Sebastiani *Brant* congruit : Ad rem illustrandam elegimus e comœdia quæ inscribitur *Pfingstmontag* hæc exempla quæ simul atque vocabula quibuscum consonant commemorabimus : *gfohr* (periculum), III, 2, v. 42 [: *vor*]. — *lon* (sinere), III, 3, v. 21 [: *Sohn*]. — *sproche* (linguæ), III, 2, v. 46 [: *gstoche*]. — Cf. præterea *Weinhold* in Gramm. mediæv. § 23. — Gramm. alem. §§ 25. 83. 116.

[2] Alemannos omnino huic usui paruisse testatur *Weinhold* in Gramm. mediæv. § 109. — Gramm. alem. §§ 42. 124.

apud scriptorem nostrum *œ* pro *öu* in verbis *sich frœwt* (gaudet) 10, 4. — *trœwt* (miniatur) 10, 3. — Denique vocalis *periphonica œ* nonnumquam vocalium *ü* et *üe* vices agit. Pro *ü* exstat in verbo *vœrchten* (timere) 31, 19-20. Pro *üe* in vocabulis *brœllen* (ululare) 108, 50. — [*er*] *fœr* (veheretur) 24, 26[1]. Quin vocalis *periphonicæ œ* usus latius patet, cum Sebastianus *Brant* eam pro quovis inter quatuor sonos *e* usurpet, quod exemplis nonnullis probare liceat : Pro *e* enim vocali invenimus *œ* in vocabulis *bœr* (bacca) 13, 63. — *bdœck* (tegat) 4, 26. — *frœmde* (extranei) 33, 88. — *der rœgt sich* (excitatur) 77, 60. — *Oe* autem pro *ë* usurpari testantur hæc exempla : *jm gebrœst gantz nüt* (sibi nihil omnino deesse) 60, 11. — *lœw* (leo) 56, 25. Deinde per *œ* pro *ê* efferuntur exempli gratia vocabula hæc : *flœh* (deprecetur) 54, 32. — *gœren* (sinus) 33, 91. — *verkœrt* (mutatus, seductus) 8, 22. Denique in verbo *gewœren* (concedere) 101, 8 usus mediævalis *æ* vocalem exhibebat quam sermo recentior servavit. *Brant* contra pro *æ* vocalem *œ* subjecit[2].

Non sola autem *periphonia* usum vocalis *o* minuit. Vocalis scilicet *u* quoque partim in locum ejus successit. Exstat enim apud scriptorem nostrum vocalis *u* non in iis solum vocibus quibus sermo medii ævi hanc vocalem tribuebat, quales sunt : *gulden* (aureus) 13, 29. — *sunder* (sed) 75, 9. — *sunn* (sol) 4, 13, aut quas per *o* aut per *u* vocales efferri sinebat, velut *frum* (pius) 64, 33. — *tunn* (cadus) 16, 84, sed in aliis quoque

[1] Cf. *Weinhold* in Gramm. mediæv. § 143.

[2] Confusio illa apud multos ætatis hujus et posterioris scriptores ex omnibus partibus Germaniæ oriundos occurrit : non tantum apud *Geiler et Fischart*, sed etiam apud *Hans Sachs*, *Seb. Münster* quin apud *Opitz*, *Zinkgref*, *Paul Fleming*, *Moscherosch*, *Hoffmannswaldau*, *Lohenstein* ; item in *Simplicissimo* permulta inveniuntur exempla. Ad aliorum scriptorum usum cum Sebastiani *Brant* sermone conferendum, partim iis quæ ipsi investigati usi sumus, partim diversa lexica evolvimus, partim libellum inspeximus qui inscribitur : « *Grammatik der deutschen Sprache des funfzehnten bis siebenzehnten Jahrhunderts von Joseph Kehrein* » 3 voll. Lipsiæ 1863. — De confusione illa egit *Weinhold* in Gramm. mediæv. § 22. — Gramm. alem. §§ 45. 92. 125.

vocabulis quæ in mero sermone mediævali semper *o* exhibebant, qualia sunt : *hunig* (mel) 106, 21. — *kumen* (venire) 37, 7 et alia [1].

Frequentissimam esse apud Sebastianum *Brant* vocalem *u* hæc jam testantur. Accedit autem ut promissa *u* vocalis mediævalis, quam sermo recentior in *au* diphthongum mutavit, apud eum servetur, velut in vocabulis : *buch* (venter) 16, 3. — *ful* (segnis), 97, 7. — *husz* (domus) 33, 87. — *kum* (vix) 4, 2. — *tub* (columba) 15, 18 et multis aliis. Sed multo latius patet usus vocalis *u*. Pro *ie* usurpatur enim in verbo *verlurt* (perdit) 19, 47; pro *i* in vocabulo *wurt* [2] (fit) 13, 11. Tenet denique locum diphthongi *iu* in vocabulis *frund* (amicus) 10, 5. — *nuw* (novus) 11, 27. — *ruwen* (pœnitere) 31, 29. — *truw* (fides) 69, 22 et nonnullis aliis, quæ quidem multo sæpius per *ü* efferuntur, quo haud scio an suspicari liceat in his vocabulis menda scripturæ exstare, pariter ac in vocibus *kunig* (rex) 22, 13. — *sund* (peccatum) 14, 5. — *ubel* (malum) 28, β et aliis quæ in aliis locis frequentissime ad amussim sermonis mediævalis per *ü* efferuntur : *künig* 90, 27. — *sünd* 25, 17. — *übel* 4, 30.

Quodsi aut prolationem parum explanatam popularium suorum imitatus, aut normam scribendi non satis accurate secutus, Sebastianus *Brant* nonnumquam vocalem puram *u* in *periphonicæ* vocalis *ü* vicem supposuit, huic tamen vocali mirum in modum favit. Ac primum quidem *Brant* vocalem *ü* fere constanter vicem diphthongi *iu*, quam sermo mediævalis multis in vocabulis exhibebat, explere voluit, velut in his exemplis : *fründ* (amicus) 56, 61. 74. — *nüw* (novus) 4, α. — *rüw* (pœnitentia) 51, γ. — *trüw* (fides) 10, 6 et multis aliis. Exempla per *u* elata, quæ supra commemoravimus, præ numero vocum

[1] Cf. *Weinhold* in Gramm. mediæv. §§ 58. 59. — Gramm. alem. §§ 29. 118. — Cf. quoque *Pfingstmontag*, quæ comœdia passim multa similia exempla præbet velut : *frumm* (pius), I, 6, v. 14. — *hunni* (mel), I, 6 v. 20. — *kummt* (venit), I, 6 v. 27. — *schunn* (jam), I, 6 v. 13.

[2] Dialectus recentior alsatica hanc formam servavit.

per *ü* elatarum parvi momenti sunt. Nec mirum videri debet *ü* vocalem diphthongi *iu* vices apud Sebastianum *Brant* agere, quoniam grammatici suspicantur hanc diphthongum re vera vocalis *periphonicæ ü* sono esse enuntiatam[1].

Satis notum est deinde in vocabulis *würde* (dignitas), *würdig* (dignus) sermonem recentem falso *ü* pro *i* vocali usurpare, cum usus mediævalis eas voces merito per *i* non per *ü* extulerit. Apud scriptorem nostrum scilicet, confusio ea jam cœpta est inveniri, quin eo grassata est ut in vocibus multis *ü* vocalis appareret quibus usus dicendi æqualium nostrorum jure *i* vocalem restituit. Tales sunt voces : *ougenblück* (momentum) 24, 6. — *drüncken* (bibere) 72, 15. — *fünden* (invenire) 75, 34. — *süngen* (canere) 31, 10. — *würdig* (dignus) 59, 28. — *würfft* (jacit) 61, 23. Nonnulla autem vocabula jam usus mediævalis *i* aut *ü* vocalibus scribi sinebat, quare nobis mirum non videbitur voces *wüscht* (abstergit) 64, 77 et *zwüschen*[2] (inter) 84, 24 apud eum occurrere, quæ tamen sæpius per *i* vocalem efferuntur. *Brant* usque adeo *ü* vocali favit, ut eam pro multis aliis vocalibus usurparet. Pro *i* vocali promissa enim usurpatam exhibent eam vocabula : *ich für* (fruor otio, negligo) 27, 1. — *lücht* (facilis) 13, 33. Pro *u* vocali brevi voces : *büffen* (calamistrare) 4, 9. — *du vergünst* (invides) 53, 4. — *zücht* (disciplina) 6, 21. — Vocalem *ü* pro *u* vocali promissa præbent voces *hütt* (cutis) 13, 94. — *miszbrücht* (abutitur) 57, 58, quam confusionem dialectus alsatica temporibus quoque nostris exhibet. Denique usurpatur *ü* pro *uo* aut *üe* in adverbio *frü* (mane) 22, 18, pro *üe* in substantivo *schwür* (juramenta) 87, 17. Videbimus autem infra diphthongum *üe* sæpius in vocalis *ü* vicem successisse.

Diphthongorum usum paucissimis verbis agere possumus, quoniam nonnulla de hac re jam supra in transcursu disserere licuit.

[1] Cf. *Weinhold* in Gramm. mediæv. § 129. — *Paul* in Gramm. mediæv. § 6, 2.

[2] Cf. *Weinhold* in Gramm. mediæv. § 55. — Gramm. alemann. §§ 29. 32.

Diphthongus *ay* primum in substantivo *aydes* (lacertus) 106, 19 exstat, quod sermo mediævalis per *ei* efferebat. *Au* autem in iis tantum vocabulis invenitur quibus usus medii ævi hanc diphthongum tribuebat, neque umquam pariter ac in sermone urbano recentiorum vicem *u* vocalis promissæ præstat. *Ei* vel *ey* diphthongus contra multo sæpius apud Sebastianum *Brant* occurrit quam in sermone mediævali. Numquam quidem locum *i* vocalis promissæ occupat, sed in vocabulis nonnullis vocalis *e* vices explet, qualia sunt : *keyglen* (metulis ludere) 68, 8. — *anreygt* (excitat) P, 77. — *beweygt* (motus) P, 78. Item, ejecta *g* consona, vocalium *a* aut *e* locum tenet[1] in vocibus : *leidt* (ponit) 66, 2. — *leydt* 74, α. — *reyen* (movere) 61, 22. — *seit* (dicit) 100, β. — *treit* (portat) 13, 25. — Diphthongus *ei* (*ey*) præterea nonnumquam diphthongum mediævalem *öu* exprimit[2] velut in vocabulis *freid* (lætitia) 19, 9. — *seygt* (lactat) 64, 49, licet apud *Brant* multo sæpius *eü* diphthongum in vicem diphthongi mediævalis *öu* successisse permulta testentur exempla, qualia sunt : *eügt* (aperit, monstrat) 64, 43. — *freüd* (gaudium) 21, 25. — 50, 19, etc. — *freüwt* (delectat) 83, α. — *geüch* (cuculli) 13, β.

Diphthongi *ie* usum jam supra leviter præstrinximus, nonnulla vocabula proferentes quæ modo ad amussim sermonis mediævalis per *i* vocalem, modo incondite per diphthongum *ie* elata exstant, qualia sunt : *spiel*, *ziel*, etc. Quin vocabula *gewiecht* (pondus) 14, 22, *vieht* (pugnat) 86, 2, in quibus per *i* vocalem efferendis usus mediævalis et sermo novus consentiunt, *Brant* per diphthongum *ie* extulit. Verbum autem *schmyeren* (unguere) 4, 5 *ye* exhibet, cum usus mediævalis id modo per *i* modo per *ë* efferret. Similiter in vocibus *tryeb* (tur-

[1] Licet in aliis quoque dialectis *a* aut *e* in diphthongum *ei* transeant, dialectus alsatica huic mutationi præcipue indulgere videtur. Occurrunt complura exempla apud *Geiler*, *Fischart* et alios. Quod ad recentiorem dialectum alsaticam attinet, Cf. *Pfingsmontag* passim, singulariter I, 6 v. 13 : *gsait* (dictus). Cf. quoque *Weinhold* in Gramm. med. § 25.

[2] Cf. *Weinhold* in Gramm. mediæv. § 126.

bidus) 5, 3. — *verfieren* (seducere) 30, 16. — *ich ycb* (exerceo) 5, 14, *ie* (*ye*) locum diphthongi *üe* tenet. At sæpe usum mediævalem secutus scriptor noster diphthongum *ie* usurpavit. In multis scilicet vocabulis, *Brant* hanc diphthongum servat, cum apud recentiores *i* aut *ü* vocales exstent, qualia sunt: *gedicht* (poema), Prot.[1], 7. — *liecht* (lumen) 106, β. — *liegen* (mentiri) P, 100. — *zuo riehten* (parare) 64, 86. — *triegen* (fallere) 101, 16.

Quodsi ante *w* consonam diphthongus *ou* apud Sebastianum *Brant* vocali *o* cessit, nisi contra *w* sequitur, diphthongus *ou* servata est nec in *au* mutata, velut apud recentiores; exhibent eam vocabula *boum* (arbor) 106, 34. — *glouben* (credere), 26, 28. 33. — *louffen* (currere) 30, 30. — *stoub* (pulvis) 61, 4 et multa alia. Similiter servata est diphthongus *œu* in substantivo *rœuber* (latro) 109, 31, licet plerumque per *eü* exprimi eam supra notaverimus. In voce *toüffer* 16, 24. — 64, 16, *oü* vice diphthongi mediævalis *ou* fungitur, quæ in adjectivo *einoygig* (luscus) 19, 90 diphthongo *oy* cessit[2].

Servavit denique *Brant* diphthongum *uo* quam multæ præbent voces, velut: *buoler* (amator) 13, 14. — *bruoder* (frater) 13, 26. — *guot* (bonus) 22, 19. — *suochen* (quærere) 22, 5. — *zuo* (ad) 13, 3. Quin in substantivo *Karwuoch* (hebdomas paschalis) 110ᵇ, 89 diphthongus *uo* incomposite exstat, cum in ejusdem capitis versu 115 hæc vox ad amussim per *o* vocalem efferatur: *karrwoch*. Quod denique ad diphthongum *ue* attinet, quæ est diphthongus *uo* per *periphoniam* mutata, non multa sunt commemoranda. Notemus primum eam multis in vocabulis, cum vocali *periphonica ü* commixtam, hujus vices præstare, velut in vocibus *spuert* (sentit) 53, 28. — *vor der tueren* (præ foribus) 42, 26. — sed ad amussim *tür* (fores) 16, 86. — Diphthongi *ie* autem locum tenet in verbis *buegen* (flectere) 71, 10.

[1] « *Prot.* » protestationem significat quam *Brant* adversus imitatores poematis sui scripsit.

[2] Multa similia exempla profert *Weinhold* in Gramm. mediæv. § 113.

— *btruegen* (fallere) 71, 24. Vocabulum *gnuesset* 89, β; *gnüsset* 89, 31 (fruitur) nullo discrimine *üe* aut *ü* pro *ie* exhibet. Diphthongi denique *uo* vices præstat *ue* in verbo *tuen* (facere) 42, 34 [: *suen* (filii)].

Scriptor scilicet noster non linguæ cujusdam urbanæ auctoritati paruit cujus usus omnino constitutus et definitus esset, sed dialectum popularem secutus est quæ auribus tantum percipi poterat. Vulgus autem sæpe linguæ est inexplanatæ, ut non facile agnosci possit quinam sonus proferatur, et ipsa dialectus non tantum sibi constat quantum sermo quidam urbanus, cui grammatica certam indixit normam. Commemoremus exempli gratia quam diligenter sermo mediævalis quatuor vocales *e* distinxerit quæ apud *Brant* omnino confusæ exstant.

Sed multa nobis jam in usu vocalium occurerunt quæ cum mero usu mediævali congruebant. Auctoritati enim scriptorum qui hunc exprimunt usum Sebastianus *Brant* sine dubio partim paruit. Ita factum est ut auctor hic in efferendis vocalibus non ita raro inter prolationem popularium suorum et usum scribendi quem merus sermo mediævalis sequebatur incertus sit. Sic enim tantum explicari potest quod verba nonnulla modo per *a* longam, modo per *o*, alia tunc per *i*, tunc per *ie* efferantur, nisi putandum est inter populares scriptoris nostri, prolationem aliorum magis ad hunc, aliorum magis ad illum sonum inclinavisse. Notemus deinde quam licenter inconstanterque adhibeatur apud scriptorem nostrum *periphonia* quæ in eodem vocabulo modo usurpatur modo abest, quamquam animadvertendum est exstare fortasse hic scripturæ tantum discrepantias.

Denique observandum est diphthongos quas sermo mediævalis usurpabat nullo modo pariter se habere in *Navi Stultifera*. Cum enim *ou* et *uo* diphthongi constanter sint servatæ,

quo suspicari possumus earum prolationem nullo modo fuisse commutatam, tenet contra semper vices diphthongi *iu* vocalis *periphonica ü*, quo manifestum fit hujus diphthongi utramque partem non separatim prolatione esse expressam, sed fusam esse quodam modo in unum sonum *ü*. Quæ autem ad servatas vocales longas *î*, *û* pertinent, hic iterare non necesse est.

CAPUT II

DE CONSONIS

De liquidis pauca sunt agenda, quoniam pleraque exempla quæ notavimus ad consonas geminatas pertinent de quibus in universum infra disseremus. Ac primum quidem pro consona *r* litteram *l* *Brant* in voce *kilchwih*[1] (dedicatio, nundinæ) 61, 21 usurpat. *N* deinde consonam mediævalem servavit in vocabulis *heyn* (domi, domum) 33, 44. — *turn*[2] (turris) 13, 74 et aliis. Tum substituit *n* in vicem litteræ *m* in vocibus nonnullis, quales sunt: *allsant* (simul) 106, 18. — *kunt* (venit) 25, 9. — *nynnt*[3] (capit) 33, 9. Substantivum *byeren* (pira) 94, 8 denique ad amussim sermonis mediævalis non *n* consonam præbet quam usus recentiorum huic tribuit[4]. Item *r* consona in vocabulo *me*[5] (plus, amplius) Prot. 28 abest.

Priusquam autem mutas tractemus singulariter, nonnulla generaliter de eis sunt disserenda. Quod ad labiales scilicet et ad dentales præsertim attinet, videtur dialectus alsatica temporibus Sebastiani *Brant* in incipientibus vocabulis medias (*b*, *d*) non accurate secrevisse a tenuibus (*p*, *t*)[6]. Quo fit ut

[1] *Geiler*, *Tschudi* in Chronico Helvetico et alii *kilche* pro *kirche* usurpant. — Cf. *Weinhold* in Gramm. med. § 153; Gramm. alem. § 194.

[2] Temporibus adhuc nostris dialectus alsatica substantivum *turm* per *n* profert.

[3] Cf. *Weinhold* in Gramm. mediæv. § 153. — Gramm. alem. § 203.

[4] Recentior quoque dialectus alsatica in vocabulo *birne* (pirum) *n* consonam tollit.

[5] Hanc formam dialectus vulgaris alsatica servavit.

[6] Quantum temporibus quoque nostris dialectus alsatica *b* et *p*, *d* et *t* litteras non discernat, nemo est, peritus quidem hujus dialecti, quin noverit. Cf. *Weinhold* in Gramm. med. §§ 159. 184. Gramm. alem. §§ 148. 179. — *Arnold* scilicet in comœdia sua plerasque labiales per *b* aut *bb*, dentales autem per *d* aut *dd* figurat, quo significetur eas litteras sonum exprimere intermedium inter *b* et *p*, inter *d* et *t* consonas.

apud scriptorem nostrum mediæ et tenues vices alternent, quin etiam, ut idem sæpe vocabulum modo per mediam, modo per tenuem efferatur consonam. Sic præbent substantiva *parck* (cymba) P, 15. — *plast* (flatus) 66, 23 *p* litteram pro *b*. Verbo autem *prassen* (commissari) modo *b* tribuitur (77, 6), modo *p* (6, 67). Substantiva denique *berlin* (parva margarita) 34, 21. — *braht* (fragor) 19, 53 apud *Brant* mutam mediam retinuerunt per quam sermo mediævalis ea efferebat, cum recentiores *b* litteram in *p* commutaverint. Dentales autem *d* et *t* multo frequentius permiscentur. Innumerabiles scilicet voces in *Stultifera Navi* inveniuntur quæ tum per *d*, tum per *t* efferuntur, quo manifestum fit ea ætate populares scriptoris nostri consonam sic pronuntiavisse ut non discerni posset *d* an *t* littera scribi deberet. Inter multa exempla, nonnulla tantum proferemus: *dag* (dies) 61, 27; *tag* 30, 11. — *dæsch* (crumena) 80, 19; *tæsch* 83, 121. — *dyeff* (profundus) 50, 16; *tieff* 19, 13. — *dor* (demens) 1, 31.; *tor* 46, 27. — *dot* (mors) 37, 29; *tod* 37, 12; *todt* 50, 23.

Hactenus quæ ad incipientia vocabula spectant. In extremis autem vocabulis usus mediævalis statuerat numquam pronuntiari aut scribi consonam mutam mediam, sed in hoc loco tenuem pro media subjici debere; terminatione vero voci adjecta, mediam jus suum recuperare volebat. Apud *Brant* hæc norma scribendi, quam grammatici *Auslautsgesetz* appellaverunt, jam non servatur. Habemus quidem: *diep* (fur) 6, 84. — *liep* (carus) 83, 22. — *spynnwep* (aranea tela) 83, 23. — et geminata consona *grapp* (sepulchrum) 31, β. — *rapp* [1] (corvus) 101, 35. — *reppluon* (perdix) 74, 9; sed multa exempla exstant quæ *b* litteram in extremis vocabulis præbent: *grab* (sepulchrum) 77, 16. — *grob* (rudis) 59, 32. — *kyb* (jurgium) 19, 30. — *lib* (corpus) 19, 29. — *wib* (mulier) 13, 65. Numquam *k* aut *c* litteras pro *g* consona usurpatas invenimus. Multa

[1] Vocabulo *rabe* (corvus) dialectus recentior alsatica vocalem brevem et finalem consonam tenuem, præmissa vero *k* consona, formam *krapp* tribuit.

autem exempla exhibent *g* litteram, velut : *borg* (mutuum, fœnus) 48, 53. — *buog* (armus) 16, 62. — *hunig* (mel) 106, 21. — *künig* (rex) 1, 13. — *tag* (dies) 30, 11.

Dentalium usus in extremis vocabulis eamdem diversitatem præbet quam in incipientibus vocibus observavimus; sine ullo discrimine modo *d* modo *t* usurpatur : *blynd* (cæcus) 40, 12; *blint* P, 9. — *hand* (manus) 4, γ; *hant* 37, 25. — *hold* (lepidus) 53, 6; *holt* 13, 59. — *leid* (dolor) 43, 16; *leit* 16, 44. — *dot* (mors) 37, 29; *tod* 37, 12. In vocabulis compositis contra semper *t* consonam, numquam *d* in priore parte vocis compositæ usurpatam invenimus, velut in his exemplis : *blintlich* (cæci modo) 2, 4. — *büntnisz* (fœdus) 46, 90. — *frîntschafft* (amicitia) 10, 20. — *hantwerck* (ars) 48, 5. — *tœtlich* (mortifer) 53, 7.

His præmissis, ad singulas consonas mutas transeamus pertractandas. Ac primum quidem, post *m* litteram ubi alia consona præsertim *d* vel *t* sequitur, aut in extremis vocibus, Sebastianus *Brant* usus mediævalis partim auctoritate fretus, *b* consonam, rarius *p* interponit, velut in vocabulis : *bkümbren* (sollicitare) 1, 21. — *frœmbd* (externus) 6, 74. — *kumbt* (venit) 13, 30. — *umb* (circa, causa) 13, 28. — *æmpter* (munera) 18, 13. 25. — *den gæmpsen* (rupicapris) 74, 21. Deinde in substantivo *schwebel* (sulfur) 4, 9 consonam *b* servavit cui sermo medii ævi plerumque favebat. Quin in vocibus *verben* (colorare 101, 15. — *hærb* (asper) 93, β, consonam *b* in locum litteræ *w* [1] auctor noster substituit.

Cum autem supra de vocalibus disseruimus, vidimus in vocibus quibusdam, *b* et *g* consonis sublatis, *e* et *a* vocales in diphthongum *ei* commutari. Verbales formæ *gyt* (dat) 30, 20. *gent* (dant) 102, 32 subtractæ *b* consonæ, non mutata vocali, exempla præbent [2]. In adjectivo denique *sufer* [3] (mundus) 72, 31

[1] Cf. *Weinhold* in Gramm. mediæv. § 160.

[2] Similia exempla apud *Geiler*, *Fischart*, necnon in aliis dialectis germanicis occurrunt. Aetate quoque nostra, incolæ Alsatiæ pronuntiant *git* pro *gibt*. Cf. *Pfingstmontag*, I, 6, v. 19. — Ibidem, I, 8, v. 43 *gist* (das). — III, 8, v. 14. *genn* (datus).

[3] Cf. *Pfingstm*, I, 1, v. 15. « *e suufers Gsicht* » (pulchram faciem).

necnon in adverbio *suferlich* (munde) 80, 7 litera *b* consonæ *f* cessit.

Attamen litteræ *f* usus, in initio saltem vocabulorum, apud Sebastianum *Brant* non frequens est, quoniam in plerisque exemplis scriptor noster consonam mediævalem *v* servavit. Occurrunt sic quidem vocabula *fasz* (dolium) 81, 36. — *folgt* (sequitur) 8, 28. — *gfatter* (compater) P, 44; sed multo frequentius invenitur in ejusmodi exemplis *v* consona, velut in his: *vasz* (dolium) 81, 24. — *vast* (magnopere) 84, 17. — *verr* (longe) 19, 27. — *vinster* (tenebræ) 90, 15. — *volgt* (sequitur) 8, 19 et in aliis multis. Infra videbimus in mediis et extremis vocibus *f* consonam apud scriptorem nostrum sæpe geminari.

Velut Sebastiani *Brant* usus in servanda *v* consona pro *f*, sic quoque in usurpanda littera *w* cum sermone mediævali congruit. Lingua scilicet medii ævi in vocabulis quibusdam *w* consonam exhibebat quam *Brant* servavit, cum recentiores eam aut omnino omittant aut pro *w* litteras *h* aut *u* subjiciant. Talia sunt hæc exempla: *der buwr* (rusticus) 74, 26. — *hew* (fœnum) 63, 16. — *læw* (tepidus) 84, 23. — *ruow*[1] (quies) 30, 11. — *strow* (stramen) 39, 23.

Gutturalis consonæ *g* usus pariter atque labialis *b* se habet, id est, partim crevit, partim recessit apud scriptorem nostrum præ sermone mediævali. Etenim nonnullis vocibus prior usus *j* litteram tribuebat, quæ consona apud recentiores in *h* litteram commutata est. Sebastianus *Brant* autem pro *j* aut *h* consonam *g* usurpat, velut in vocabulis *frueg* (mane) 46, 23. — *luegen*[2] (ululare) 108, 50. — *mueg* (opera) 59, 3. — *sægt* (serit) 97, 18[3]. — Quin etiam *Brant* adjicit nonnumquam *g* conso-

[1] Adjectivum *ruewig* (quietus), ab hoc substantivo derivatum, in dialecto alsatica recentiore *w* consonam servat. Cf. *Pfingstm.*, II, 3, v. 52 *by den ruewige* (apud quietos).

[2] In hoc vocabulo sermo mediævalis consonam *g* partim jam receperat.

[3] Dialectus recentior alsatica hunc sonum *g* per *j* profert, quippe quæ *g* consonam in mediis aut extremis vocabulis constanter in *j* commutet. Cf. *Pfingstm.*, *drähje* (vertere), III, 4, v. 62. — *früej* (mane), I, 6, v. 107 — *müej* (opera), I, 6, v. 72.

nam iis vocabulis quibus sermo mediævalis *j* litteram non tribuebat, præsertim post *i* vocalem promissam : *dryg* (tres) 48, 16. — *eyger*[1] (ova) 110 b, 19. — *in dem meygen*[1] (in maio mense) 110 b, 20. — *schrygen* (clamare) 75, 43. — *wangst* (venter) 85, 135[2].

In aliis contra vocibus vidimus supra *g* litteram apud scriptorem nostrum ejici, vocalibus *a* et *e* in diphthongum *ei* commutatis. Simili modo in verbo *ligen* (jacere) tertia persona singularis præsentis indicativi : *lyt* 16, 58 aut *lytt* 64, 30, *g* consonam ejicit, vocalem vero quæ hanc litteram præcedebat nullo modo mutat.

Quod autem in vocabulo *kriechen* (Græci) 83, 74 *k* consonam pro *g* usurpat, non distat scriptor noster ab usu mediævali. Pariter vox *krysten* (christiani) 93, 24 per *k* non per *ch* elata exstat. Mutatis contra vicibus, Sebastianus *Brant* ad amussim sermonis mediævalis biconsonam *ch* servavit in vocibus *bachen* (coquere) 81, 41. — *bloch* (taxillus) 62, 16[3]. Quin verbi *schlagen* (ferire) tertiam personam singularem præsentis indicativi pariter ac priores per *ch* non per *g* effert : *er schlecht*[4] (ferit) 4, 10. Denique in vocabulis *durechter* (vexator) 105, β. et *gedurechtet* (vexatus) 27, 24, biconsona finalis *ch* præpositionis *durch* (per) sublata est, sicut per normam sermonis mediævalis licebat. Sed non semper constat sibi usus scriptoris nostri. Vocabula scilicet quædam exhibebant priore ætate biconsonam *ch* in extrema voce. *Brant* autem servat quidem nonnumquam hunc usum, sed non raro biconsonam *ch* rejicit. Occurrit sic substantivum *schuoch* (calceus) 4, 18, sed *schuo* 16, 1. Simili modo, verba *befehlen* (jubere), *empfehlen* (commendare), cum consona *h* olim post litteram *l* collocaretur, figuram

[1] In hoc vocabulo sermo mediævalis consonam *g* partim jam receperat.

[2] Similia exempla apud *Geiler* et apud *Fischart* pariter atque apud *Brant* occurrunt permulta. Cf. quoque *Weinhold* in Gramm. mediæv. § 221. — Gramm. alem. §§ 212. 215.

[3] His vocibus dialectus quoque recentior alsatica *ch* biconsonam tribuit : Cf. *Pfingstm.*, I, 6, v. 98 : [*mer*] *bache* (coquimus) [: *mache* (facere)].

[4] Similia exempla apud *Geiler* quoque et *Fischart* exstant.

bevelhen, *enphelhen* exhibebant. Hic quoque *Brant* priorem quidem sequitur usum, sed non constanter. Invenimus enim apud eum : *entpfalh* (jussit) 87, 30. — *entpfolhen* (mandatus, jussus) 106, 5; sed sublata *h* consona : *befälen* (jubere) Prot. 34.

Maxime vero vices alternantur apud scriptorem nostrum consonæ *h* et biconsonæ *ch*. *H* scilicet consonæ in locum sermo mediævalis *ch* biconsonam succedere volebat, cum vocalis promissa aut *l* aut *r* consonæ antecedebant. Item mutabatur *h* consona in perfecto verborum *sehen* (videre), *geschehen* (fieri) etc. Insequente vero *t* consona, sermo medii ævi fere semper *h* consonam usurpabat, cum recentiores ejusmodi vocabula per *cht*, nunquam per *ht* efferant. Sebastianus *Brant* autem in usurpandis consonis *h* et *ch* adeo non sibi constat, ut idem vocabulum modo per *h* modo per *ch* elatum exstet, velut : *betrahten* (considerare) 25, 3; *betrachten* 27, 12. — *geschah* (accidit) 33, 35; *geschach* 33, 32. — *reht* (bene, recte) 18, 16; *recht* 18, 4. — *zehen* (decem) 93, 11. 21. — *sehtzechen* (sedecim) 97, 28. Commemoremus præcipue adjectiva per *echt* inclinata, velut *doreht* (insanus) 40, 31; *dorecht* 10, 1. — *narreht* (demens) 43, 12; *narrecht* 6, 48.

Proximum est ut dentales quid habeant peculiare apud scriptorem nostrum exponamus. Quæ autem ad confusas litteras *d* et *t* attinent hic non repetemus. Quare superest tantum ut ea vocabula commemoremus in quibus mediis consona dentalis aut servata aut mutata, aut adversus usum communem medii ævi sublata est, aut incomposite est inserta. Proferamus sic præpositionem *hynder* (post) apud Sebastianum *Brant* ad amussim usus mediævalis semper per consonam *d* elatam. Verbum *schnædern* (garrulare) contra incondite *d* litteram pro *t* exhibet in cap. 64 v. 21. Non magis *Brant* usum medii ævi servavit cum in substantivo *vasznacht* (bacchanalia) 110ᵇ, 1 consonam *t* post *sz* sustulit[1]. Similiter tollitur apud eum *d* con-

[1] Non exstare hic librariorum mendum eo verisimilius est quod recentior quoque dialectus alsatica vocabulum *fasznacht* sine *t* consona post *sz* profert.

sona in vocabulis *oben*[1] (vesper) 67, 25. — *pfruon* (præbenda) 30, 1. 27 [: *tuon*], cum contra in substantivo *tunder* (tonitru) 86, γ hæc consona inserta exstet[2].

Reliquum est ut sibilantes consonas tractemus. Usus scilicet medii ævi sibilantium *s*, *ss* et *sz* discrimen diligenter servabat. Cum postea permiscerentur, fere sine ullo discrimine usurpatæ sunt. Apud *Brant* nostrum, confusio illa jam mirum in modum grassata est. In vocabulis *ars* (clunes) 5, β. — *bœs* (malus) 68, 13. — *hals* (collum) 34, 34. — *husung* (domicilium) 106, 28. — *den müsen* (muribus) 33, 47. — *wis* (sapiens) 68, 33 invenimus quidem *s* litteram ad amussim sermonis mediævalis usurpatam, sed multo sæpius occurrit consona gemina *sz* in his et aliis vocabulis quæ, ad orthographiæ normam scripta, consonam *s* exhibere debebant : *bœsz* (malus) 13, 21. — *halsz* (collum) 4, 6. — *husz* (domus) 50, 4. — *müsz* (mures), 33, γ. — *wisz* (sapiens) 13, 73. Consonam *s* geminatam pro *s* simplici invenimus in vocabulo *bœss* (malus) 5, 8; sed hæc exempla non sunt frequentia.

In contrarium *s* consona nonnumquam in vicem biconsonæ *sz* succedit in quibusdam vocibus, quales sunt : *bas* (melius) 6, 31. — *dem grœsten* (maximo) 81, 24. — *was* (quid) 5, 17. — *weys* (scio) 61, 17; sed ejusmodi exempla rara sunt. Cum *s* consona simplex pro *sz* usurpata non frequens sit, *s* geminata contra persæpe biconsonæ *sz* locum tenet, quin, pariter ac apud recentiores, in multis vocabulis geminatæ biconsonæ *szsz* vices præstat : *besser* (melior, —us) 48, 69. — *essen* (edere) 25, 4. — *wasser* (aqua) 59, 24. Pro simplici denique *sz* usurpatur in vocibus *entblœssen* (detegere) 4, 6. — *grossem* (magno) 18, 26. — *strassen* (viæ) P, 10. Sed usus scriptoris nostri nullo

[1] In hoc vocabulo recentiores quoque Alsatiæ incolæ *d* consonam finalem prætermittunt. Cf. *Pfingstmontag: z' Owes* (sub vesperum), III, 7, v. 62. — Cf. quoque *Weinhold* in Gramm. med. § 186. — Gramm. alem. § 183.

[2] Temporibus quoque nostris vocabulum *dunder* in Alsatia sic profertur : Cf. *Pfingstm.*, V, 7, v. 5. — Cf. insuper *Weinhold* in Gramm. mediæv. § 186. — Gramm. alem. § 182.

modo sibi constat : eædem voces, quas per *s* aut *ss* elatas commemoravimus, nonnunquam biconsonam *sz* præbent, velut : *entbloszt* (detegit) 90, 20. — *grosz* (magnus) 13, 26. — *strasz* (via) 50, 3. — *wasz* (quid) 5, 32. — Ex his exemplis manifestum tamen fieri videtur Sebastianum *Brant* consonam *ss* prætulisse geminatam in mediis vocibus cum vocalis sequitur; in extremo vocabulo contra aut cum consona sequitur, biconsonæ *sz* favisse, quamvis usus ejus non constans sit. Quin etiam nonnulla vocabula quæ supra per *s*, *ss* aut *sz* consonas elata vidimus, et alia multa quæ secundum usum mediævalem *sz* biconsonam præbere debebant, per triplicem sibilantem *ssz* efferuntur, qualia sunt : *bassz* (melius) 53, 28. — *hasszt* (odit) 22, 28. — *isszt* (edit) 53, 24. — *suessz* (dulcis) 50, 29 et alia.

Sed non hoc tantum sibilantium usus apud Sebastianum *Brant* cum mero sermone medii ævi discrepat. Notum enim est in recentiore sermone germanico consonam *s* ante litteras *p* et *t* eum sonum exprimere quem triconsona *sch* communiter exprimit. Priore autem ætate scribebatur item *sl*, *sm*, *sn*, *sr*, *sw*, non *schl*, *schm*, etc. Incipiente demum ætate inferiore, ante consonas *l*, *m*, *n*, *r*, *w* triconsona *sch* in locum litteræ *s* cessit, cum ante *p* et *t* consonas simplex littera *s* servaretur. Sebastianus *Brant* utrum *s* an *sch* usurpare potius sit dubitans, modo hunc modo illum scribendi modum præfert. Exempla quæ sequuntur quam incertus sit apud eum usus significare videntur : *gslecht* (tribus) 8, 20; *geschlecht* 10, 20. — *slecht* (verberat) 45, 30; *schlecht* 4, 10. — *gesmæchen* (blasphemare, probris vexare) 6, 64; *geschmæhen* (probris vexatus) 33, 24. — *smertz* (dolor) 6, 21; *schmertz* 50, 28 et multa alia.

Geminatas denique consonas adhuc servavimus tractandas, quod plerumque magis ad usum scribendi quam ad prolationem spectare videntur. Etenim, præterquam si consona geminata vocalem sequitur, prolationem mutatam nullo modo significare potest; quin, præcedente vocali, non certe dijudicari potest utrum consona geminata vocalem correptam indicare debeat, an Sebastianus *Brant* usum scribendi simpliciter secu-

tus qui temporibus suis valebat, consonam geminaverit. His generaliter dictis, ad singula transeamus.

Liquidæ primum frequentissime geminantur, quamquam usus scriptoris nostri non ita sibi constat ut eadem vocabula non modo per geminam, modo per simplicem efferantur consonam, velut: *voll* (plenus, ebrius) 81, 42. — *yllt* (festinat) 42, 16. — *synn* (sensus) 1, 20. — *kynnttheyt* (pueritia), 46, 22. — *hœrr* (audiat) 11, 24. — *verr* (longe) 19, 67. Sed : *vol* 4, 16. — *ylt* 31, 22. — *sin* 11, 19. — *ver* 19, 73. Geminatarum tamen usus longe præstat. Notanda sunt præcipue ea vocabula quæ consonam geminam inter vocales positam exhibent, quod in his consona gemina præcedentem vocalem corripi indicat aut indicare potest, velut in vocibus : *kunnig* (rex) 6, 37. — *nammen* (nomen) Prot, 35. — *sich schammen* (pudere) Prot. 36 [1].

Sæpissime geminantur quoque labiales *p*, *f*, *pf* : *die Alppen* (Alpes) 66, 34. — *brieff* (epistula) 19, 14. — *scharff* (acer) 106, 21. — *gifft* (venenum) 16, 93. — *glympff* (moderatio, decus) 75, 27. — *dappfer* (fortis) 13, 17. — *der harppffen* (harpæ) 54, 8. — *koppff* (caput) 77, 19. Hic quoque ea præcipue vocabula notemus in quibus geminata consona correptam vocalem significare potest, velut : *griffen* (prehendere) 72, 29. — *huffen* (acervus, turba) 63, 8. 70. — *kouffen* (emere) 48, 22. — *ruffen* (appellare) 45, 3. — *schlaffen* (dormire) 57, 25. — *styffel* [2] (tibiale) 4, 18.

Haud aliter gutturalis geminata *ck* ante et post vocalem aut consonam usurpatur : *backenschlack* (colaphus) 69, 8. — *danck* (gratia) 59, β. — *Heydelberck* (civitas Heidelberg) 60, 24. — *merckt* (animadvertit) 48, 85. Quin etiam verbum *entsprinckt*

[1] In his vocabulis recentior dialectus alsatica revera vocalem profert brevem : Cf. in comœdia quæ inscribitur *Pfingstmontag : kinni* (rex), V, 9, in pænultimo versu. — *namme* (nomen), II, 4, v. 52. — *schamme* (pudere), III, 2, v. 58 [: *verdamme*].

[2] Vocibus *griffen*, *huffen*, *stiffel* dialectus alsatica temporibus nostris vocalem brevem tribuit, sed non aliis supra citatis.

(nascitur) 16, 19 *ck* pro *g* in media voce exhibet. Pro *ck* autem occurrit in vocibus nonnullis biconsona *gk*; talia sunt vocabula : *bergk* (mons) 39, 22. — *dringkt* (bibit) 66, 97. — *glügk* (fortuna) 56, 54. — *magk* (potest) 83, 50. — *wergk* (opus) 21, 29[1].

Dentalis denique geminatæ vices agit nunc *tt* biconsona, nunc *dt*, sine ullo discrimine in mediis et in extremis vocabulis, post vocalem brevem aut promissam, aut cum consona antecedit. Præterea, cum consona nullo modo constanter geminetur, idem vocabulum tum per *t*, tum per *tt* vel *dt* effertur. *D* et *t* consonas autem in extremis vocibus non accurate secerni jam supra notavimus. Sic rationem scribendi sermone mediævali institutam *Brant* minime custodiit. Invenimus exempli gratia : *leydt* (dolor) 6, 60; *leitt* 72, 90. — *dot* (mortuus) 5, 7; *dott* 13, 45. — *erdt* (terra) 24, 17; *erd* 28, 24. — *landt* (regio) 22, 15; *land* 4, 24; *lant* 66, 13. — *sandt* (arena) 56, 20; *sand* 56, 81; quin etiam *santt* 86, 64. — *weltt* (universum) 6, 79; *welt* 33, 64.

Per *th* autem biconsonam *Brant* nonnulla vocabula germanica effert quorum pleraque eam usque ad tempora nostra servaverunt, velut *thier* (animal) 1, 34. — *thon* (sonitus) 33, 56. — *thun* (facere) 5, 17; tum præcipue nomina propria peregrina quibus *t* consonam et lingua a qua sumuntur tribuebat et usus recens restituit, qualia sunt : *Catho* 33, 17. — *Ethna* 53, 25. — *Ethyocles* 53, 30. *Thobias* 8, 11, etc. Biconsonam *th* quasi nobiliorem et insigniorem nominibus illis scriptor noster concessisse videtur.

Denique *tz* biconsonam sicut *ck* non tantum post vocales, verum etiam cum consona antecedit et in extremis et in mediis vocabulis usurpatam invenimus, cum sermo mediævalis eam numquam in extrema voce, in media ea tantum conditione

[1] Hunc usum scribendi multi scriptores ætatis illius et insequentis adhibuerunt, inter quos Johannem *Geiler* commemorabimus, necnon Johannem Agricolam in *Proverbiis*, Sebastianum *Münster* in *Cosmographia*, et Georgium *Rollenhagen* in fabularum libro qui *Froschmeuseler* inscribitur.

usurparet ut vocalis brevis antecederet. Animadvertendum est præterea in nonnullis vocibus masculini aut neutrius generis, quarum in basi *d* vel *t* consonæ extremæ exstabant, terminatione *s* genitivi adjecta, *t* vel *d* cum *s* consona coaluisse in biconsonam *tz*, quod præcipue in vocabulis compositis factum est, quale est *gotzvorchtig*[1] (pius) 10, 24. Item coaluerunt *t* et *s* in adjectivo *seltzen* [*Mhd. seltsæne*, rarus] 69, 91. Exempla alia biconsonæ *tz* usurpatæ præbent voces *dantzt* (saltat) 13, 31. — *schmertz* (dolor) 50, 28, etc. Quin etiam littera *t* nonnumquam geminata, triconsona exstat, velut in *muttzen* (ornare) 60, 22. Simplex consona *z* contra perraro in extrema voce invenitur, qualem præbet substantivum *harz* (resina) 4, 9.

Ex his satis elucet auctorem nostrum consonas ita usurpare ut usus ejus nullo modo sibi constet, atque ut scriptor, quænam sit usurpanda, incertus esse videatur. Attamen eas discrepantias quæ ad orthographiam tantum pertinent ab iis discernere oportet quæ prolationem significant incertam. Quod *Brant* exempli gratia modo *scharf* scribit, modo *scharff*, vocem *dank* tunc per *k* simplicem, tunc per *ck* effert, sæpe formam *bœs*, modo *bœsz*, modo *bœss* usurpat, interdum figuram *reht*, interdum formam *recht* exhibet, nullo modo probare videtur prolationem tunc temporis fuisse incertam, sed simpliciter usum scribendi non normam habuisse immutabilem. Simili modo litteræ *sch* et *s* propterea tantum ante consonas *l*, *m* et *w* vices alternant quod Sebastianus *Brant* partim orthographiam mediævalem secutus est, partim prolationi popularium suorum paruit. Hæc omnia linguæ conditioni peculiaria sunt cui certæ desunt normæ loquendi.

Multo majoris contra momenti est quod litteræ *d* et *t*, *b* et *p* vicissim usurpantur. Hoc enim probatur (quod jam supra notavimus, quodque temporibus nostris Alsatiæ incolæ prolatione sua confirmant) alsaticam dialectum vulgarem non satis discrevisse *medias* a *tenuibus*, ut scriptor, cum certa norma

[1] Genitivus *Gotz* (dei) apud *Geiler* quoque invenitur.

scribendi deesset et auribus solis credere deberet, consonæ hæ an illæ essent scribendæ incertus esset. Inconstans ille usus scribendi per sæcula decimum sextum, decimum septimum et decimum octavum permansit. Ne miremur igitur tempore Sebastiani *Brant*, quo lingua germanica mirum in modum immutata veterem usum deseruit novumque adhibuit, orthographiam parum sibi constitisse. Postremo, si dialectus alsatica, qualis apud auctorem nostrum apparet, multa exhibet quæ sunt ei peculiaria, multa tamen in ea cum mero usu medii ævi congruunt, distant contra a norma recentiorum. In sermone novo enim multa occurrunt quæ, e lingua Germaniæ mediæ (*Mitteldeutsch*) sumpta, dialecto Germaniæ Inferioris (*Niederdeutsch*) proxima, ab usu Germaniæ Superioris (*Hochdeutsch*) proprie aliena sunt.

LIBER SECUNDUS

DE FLEXU NOMINUM ET VERBORUM

CAPUT I

DE DECLINATIONE NOMINUM

I

In nominibus declinandis, et substantivis et adjectivis, dialectus alsatica quam scriptor noster secutus est, pariter ac omnes Germaniæ superioris dialecti, id præcipue appetere videtur, ut vocabula quam maxime contracta proferantur. Eo fit ut, vi tota vocabuli in radicem coacta, exitus, ac quidem non ii tantum qui vocalem solam exhibent, sed etiam ii in quibus vocalis consonantibus quasi defenditur, evanescant. Temporibus nostris, declinationem totam dialectus illa adeo sustulit ut casuum pæne omnium vicem præstent præpositiones, velut præpositio *von* dativo conjuncta constanter genitivi locum tenet. Quamquam apud scriptorem nostrum declinationis vestigia nonnulla supersunt, plerumque abesse apud eum casuum exitus mox apparebit.

Quodsi terminationibus tollendis favebant imprimis dialecti Germaniæ superioris, fere omnibus contra dialectis commune erat quod temporibus illis vocalium *periphonicarum* usus magis magisque grassatus est; quin ætate auctoris nostri, in omnibus Germaniæ partibus usus communis postulabat ut multa vocabula per *periphoniam* flecterentur quæ, secundum normam sermonis mediævalis, *periphoniæ* nullo modo servire debebant.

Haud mirum igitur videbitur nobis Sebastianum *Brant* multis in substantivis declinandis *periphoniam* adhibere, quorum vocalem priores puram remanere volebant. Quantum autem *periphoniæ* usus tunc temporis perturbatus fuerit eo manifestum fit, quod in contrarium substantiva quædam pluraliter vocalem puram exhibent quæ, secundum normam sermonis mediævalis, *periphoniæ* obnoxia esse debebant.

Huc accedit quod multæ voces et masculini et præcipue feminini generis a declinatione *valida* quæ dicitur ad *debilem* quæ nominatur transierunt. Licet corruptio hæc omnibus Germaniæ dialectis ætate illa communis sit, occurrent nobis tamen vocabula nonnulla quorum in declinatione mutanda dialectus alsatica singularis est. Superest ut novissimam corrumpendæ declinationis causam commemoremus : haud rara scilicet substantiva genus mutaverunt, mutatoque genere, ad aliam plerumque declinationem transierunt. Mutati hujus quoque usus exempla nonnulla scriptor noster præbet. Sed ne diutius in communibus rerum summis hærere videamur, ad singula transeamus quibus optime licebit quæ supra contendimus rebus confirmare.

II

Ac primum quidem declinationem quæ dicidur *valida* (*stark*) consideremus.

A. De Masculinis.

Duo præcipue sunt animadvertenda : exitum non eorum tantum casuum qui *e* vocalem apud priores exhibebant, velut dativi singularis et nominativi, genitivi, accusativi pluralis tolli, sed etiam genitivi singularis terminationem (*e*)*s* et dativi pluralis exitum (*e*)*n* sæpissime deesse ; tunc multa vocabula quorum vocalis in sermone priore pluraliter pura remanebat *periphonicam* exhibere vocalem, quamquam tantum abest ut

usus scriptoris nostri sibi constet, ut nonnullorum substantivorum modo pura exstet vocalis, modo *periphonica*. Numeri singularis nullum discrimen præbent vocabula quorum vocalis plurativo numero per *periphoniam* mutatur et quorum pura perstat. Quamobrem nobis ea promiscue commemorare licebit.

Genitivus singularis nominum masculinorum quæ sequuntur declinationem *validam* exit in *s* vel *es*. Exempla præbent vocabula *gotts* (dei) 57, 79; *gottes* 77, 94. — *des schloffs* (somnii) 77, 24; *des schloffes* 77, 28. — Substantiva quæ exeunt in *el*, *en*, *en*, jam constanter *s*, numquam *es* adhibent terminationem, velut : *des esels* (asini) 30, γ. — *des tüfels* (diaboli) 77, 95. — *des vatters* (patris) 6, 60; sed *e* vocali nondum ante *r* consonam inserta, *des füres* (ignis) 48, 66. Quin etiam exitus genitivi interdum omnino abest : *dins gewalt* (potestatis tuæ) 54, 20. — *des reyn* (scopi) 75, 61. — *eyn dünnen rock* (tenuis tunicæ) 19, 56. — *jrs vatter rott* (consilium patris) 40, 33 [1].

Dativi singularis exitus haud secus ac terminatio *e* plurativi numeri numquam servatur [2].

Pluraliter vocalem puram exhibent non tantum ea vocabula quorum vocalis per *periphoniam* immutari non potest, sed alia quoque substantiva quibus sermo mediævalis vocalem puram plurativo numero tribuebat, usus novus contra *periphonicam* tribuit, denique voces nonnullæ quarum vocalis, et secundum normam mediævalem, et secundum usum æqualium nostrorum, *periphoniam* recipere debet, apud *Brant* contra, verborum mixtura quadam, non recipit. Substantiva quorum vocalis per *periphoniam* flecti non potest aut numquam flexa est negligere licebit. Ad alia statim transeamus. Nomen *die vogel* (aves) 19, 74, cujus vocalis apud priores *periphoniam* non recipiebat,

[1] Apud omnes scriptores illius ætatis et insequentis exitus *es* genitivi singularis sæpissime subtrahitur, præsertim in vocabulis quæ exeunt in sibilantem consonam. Exempla exstant apud *Fischart*, *Luther*, quin etiam apud *Lohenstein*. Similes locos, ex auctoribus qui merum exprimunt usum mediævalem sumptos, *Weinhold* in Gramm. mediæv. § 448 profert.

[2] Cf. *Weinhold* in Gramm. mediæv. § 449. — Gramm. alem. § 415.

apud recentiores contra recipit, in *Navi Stultifera* vocalem præbet puram. Item *periphoniam* non adhibet Sebastianus *Brant* in vocabulis *all schusz* (omnes jactus) 75, 36. — *sturtz* (velamina muliebria) P, 112, quamquam usus mediævalis plurativo numero harum vocum vocalem *periphonicam* tribuebat[1]. Vox *man* (vir), quæ apud recentiores exitum *er* cum vocali *periphonica* accepit, apud *Brant* vocalem puram præbet: *man* (viri) 4, 4. — *die mann* (viri) 33, 15. — *mannen* (viris) 77, 33. — Similiter occurrunt vocabula *den dornen* (spinis) 36, 1. — *bruodern*[2] (fratribus) P, 58.

Vocalem *periphonicam* exhibent plurativo numero non ea tantum substantiva quibus sermo mediævalis eam tribuebat, sed aliæ quoque voces quæ secundum usum mediævalem *periphoniam* recipere non debebant, quarum autem pleræque apud recentiores eam pluraliter adeptæ sunt, quales exstant in his exemplis: *hæf* (vasa) 84, 8. — *hæfen* (vasa) 6, 15. — *mægen* (stomachi) 33, 15. — *mentel* (amictus) 4, 17. — *mynchs œrden* (ordines monastici) 63, 4. — *wœlff* (lupi) 25, β. 4. — Proferamus præterea vocabulum *felt* (sinus, plicæ) 4, 16 quod apud recentiores, genere feminino adhibito, in declinationem *debilem* transiit, cum sermo mediævalis pariter ac *Brant* ei genus masculinum et declinationem *validam* tribueret.

Cum in plerisque vocibus exitus *en* dativi pluralis servetur, non raro tamen tollitur, velut in exemplis his: *usz viel armbrust* (e multis arcuballistis) 18, 11 — *mit kœrb* (cum sportis)

[1] Addendum est quoque *myn suon* (filii mei) 22, 25, cum contra *Brant* adamussim usurpaverit dativum *suenen* (filiis) 16, 31; 90, 33. — Num præterea exstent in exemplis supra citatis menda scripturæ necne, non certe dijudicari potest.

[2] Vocabulum *bruoder*, secundum normam optimorum codicum qui, si Jacobo *Grimm* credas, merum exhibent usum mediævalem, pariter ac alia anomala quæ dicuntur, plurativo numero vocalem puram præbere debet. In aliis ceterum codicibus haud infrequens est pluraliter vocalis *periphonica*, quam *Brant* quoque adhibuisse probat exemplum *brueder* (fratres), 53, 22.

63, 71. — *mancher kann ratten ander lüt* (multi ad consilia aliis danda idonei sunt) 21, 19, etc.

Licet vocabuli *man* exemplum supra prolatum demonstret exitum *er* in plurativo numero vocum masculinarum nondum tantum grassatum esse quantum apud æquales nostros, sæpius tamen occurere eum, quam secundum normam usus mediævalis licebat, probat exemplum *die abgœtter* (commenticii dii) 64, 18. — In contrarium inveniuntur pluralia *die abgœt* 13, 69 — *alle richtum* (omnes divitiæ) 9, 18. — *wæld* (silvæ) 74, 13, *den würmen* (vermibus) 85, 124.

B. De substantivis femininis.

Ad amussim sermonis mediævalis, multorum nominum femininorum quæ declinationem *validam* sequuntur numerus singularis nullum exhibet exitum, pluralis contra numeri casus nominativus et accusativus *e* terminationem, aut nullam si liquida antecedit, genitivus et dativus exitum *en* aut *n* præbent. Hæc plurativo numero vocalem puram exhibent. Quorum autem vocalis pluraliter per *periphoniam* flectitur, ea etiam in genitivo et dativo numeri singularis posse *periphonicam* vocalem exhibere ostendit paradigma quod sequitur : Sing. N. A. *kraft.* — G. D. *krefte* (aut *kraft*). — Plur. N. G. A. *krefte,* D. *kreften.*

In singulari numero non est cur immoremur. Attamen temporibus Sebastiani *Brant* memoriam *periphoniæ* tribuendæ genitivo et dativo singulari nominum secundæ declinationis superfuisse probatur exemplo *by der hend* (manu) 61, 15. Sed plerumque exitu moto, vocalis *periphoniam* non recipit.

Plurativo numero, pleraque vocabula quæ in sermone mediævali *validam* sequebantur declinationem apud recentiores in declinationem *debilem* transierunt. Apud *Brant* vestigia prioris usus remanere testantur exempla qualia sunt : *die wissen Bœr* (baccæ albæ) 13, 63. — *mandel* (amygdalas) 16, 63. — *Syrnæ*

(sirenes) 13, 54. Vocabuli *hand* (manus), quod apud superiores vocalem pluraliter modo puram modo *periphonicam* habebat, invenimus dativum pluralem sine *periphonia* usurpatum in dictione *zuo handen gon* (accidere) 57, 73. — 109, β. Plerumque contra vocalis *periphonica* exstat: *hend* (manus) 16, 16. — 19, 74. — *henden* (manibus) 106, 19. — Vocalis pluraliter *periphonicæ* præbent quoque exempla voces *Gwælt* (potestates) 22, 16. — *suecht* (libidines) 77, 91, quarum utraque apud superiores declinationem *validam* secuta, apud recentiores in *debilem* transiit.

C. De nominibus neutris.

Cum casus singulares nominum generis neutrius quæ sequuntur declinationem *validam* nihil peculiare habeant apud scriptorem nostrum, et usque ad tempora nostra speciem exhibeant eamdem quam jam medio ævo præbebant, exempla singula proferre haud operæ pretium esse videtur. Plurativi contra numeri hoc proprium est quod, cum sermo mediævalis ei exitus *e* (Gen.) *en* (Dat.) tribueret, nonnullis tantum vocibus terminationes *er*, *ern*, apud recentiores hæ magisque grassatæ sunt, illi sensim recesserunt. Scriptoris nostri usus qualis sit et quam non sibi constet, exempla quæ sequuntur satis probabunt. Pluralem numerum sine exitu, dativum in *en* desinentem exhibent vocabula *gschlecht* (genera) P, 108; *geschlechten* (generibus) 97, α. — *kind* (liberos) 13, 40; *kynden* (liberis) 5, 5. — *land* (regiones) 56, 13; *landen* (regionibus) 71, 22. *die schwert* (enses) 46, 47. — *wib* (mulieres) 13, 86. — *wort* (verba) 1, 6 quæ sermo mediævalis sic quoque flectebat et vox *tal* (valles) 74, 13 quæ exitum *er* jam apud superiores plerumque receptum temporibus nostris servavit.

Nunc ad ea vocabula transeamus quæ exitum *er*, *paragogicus* qui dicitur, exhibent. Occurrunt apud *Brant* nonnullæ voces quibus jam sermo mediævalis hunc exitum tribuebat; tales sunt : *æmpter* (magistratus) 18, 13. 23. — *kleider* (vestimenta)

4, 16. — *wiber* (mulieres) 33, 22. — Aliis autem vocabulis sermo mediævalis hanc terminationem non tribuebat, cum apud scriptorem nostrum hoc modo declinata inveniantur, velut: *hembder* (subuculæ) 4, 17[1]. — *hœrner* (cornua) P, 120. — *kynder* (pueros) 6, 48. — *vœlckern* (populis) 83, 72. — Notemus nonnulla substantiva modo exitus *e*, *en*, modo terminationes *er*, *ern*, exhibere, velut *kind*, *wib*, et alia[2].

III

Sequitur ut ad declinationem transeamus quam Jacobus *Grimm debilem* appellavit.

A. *De substantivis masculinis.*

Ea vocabula negligemus quæ, apud priores jam declinationem *debilem* secuta, eam apud *Brant* quoque et apud recentiores sequuntur. Exempla harum vocum proferre non operæ pretium est, præsertim cum alia vocabula declinationes mirum in modum mutaverint et permiscuerint: hæc apud superiores declinationem *debilem* secuta erant, apud recentiores in *validam* transierunt; illa in contrarium, quæ sermo mediævalis secundum *validam* declinationem flectebat, temporibus nostris secundum *debilem* declinantur, nonnulla, masculina prius, postea feminina facta sunt.

Ac primum quidem ea substantiva quæ, apud superiores declinationem *debilem* secuta, in sermone recenti ad *validam* transierunt, quomodo flectat *Brant* consideremus. Huc perti-

[1] Substantivo *hemd* sermo urbanus recentiorum pluraliter exitum *en* tribuit. Dialectus contra alsatica terminationes *er*, *ern* servavit.

[2] Multis in substantivis neutris declinandis sermo quoque mediæ ætatis inter terminationes *e*, *en* et *er*, *ern* pluraliter adhibendas incertus erat: Cf. *Grimm* in Gramm. Germ. I, p. 595-97 (678-80 in editione recenti). — *Weinhold* in Gramm. mediæv. § 454. — Gramm. alemann. § 424.

nentia proferemus exempla hæc : *jn eyn brunn* (in fontem) 32, β. *ein galg* (patibulum, acc.) 69, 19. — *ein grossen huffen* (magnum acervum) 63, 70; *uff eym misthuff* (in sterculino) 51, 16. — *des kolben* (clavæ) P, 132. — *den ryffen* (pruinam) 93, 30. — *den schad* (damnum) 45, 34. — *dem schelmen* (nequam) 5, 24. — *zuo dem stad* (ad littus) 108, 114; *den staden* (littus) 108, 12. — *der wissag* (vates) 51, 6. — *wissagen* (acc. plur.) 41, 17. — Exitus *en* modo usurpatus modo sublatus demonstrare videtur *Brant* priori usui paruisse. Pariter se habent ea substantiva quæ jam superiores modo secundum *validam*, modo secundum *debilem* flectebant declinationem, qualia exhibent hæc exempla : *herolden* (præcones) 63, 65. — *die nochburn* (vicini) 33, 42. — *dem ruck* (tergo) 78, γ. — *mym rucken* (tergo meo) 78, 8. Contraria in parte vocabulum *heyden* (paganus), *n* consona amissa, apud recentiores e *valida* declinatione in *debilem* transiit, quem usum jam a Sebastiano *Brant* receptum probat exemplum *Sardanapalus der heyd* quod in cap. 50 v. 20 occurrit. Exitus declinationum *validæ* et *debilis* exhibet simul substantivum *kost* (opes) in cap. 15 v. β : *was kostens* (quid opum).

Nonnulla substantiva quæ apud superiores masculina erant, apud recentes autem genus femininum receperunt, *Brant* masculino genere enuntiare manifestum fit dativo *dem schlangen* (serpenti) 101, 31 et aliis. Duo denique vocabula, in quibus secundum *validam* declinationem flectendis consentiunt et sermo mediævalis et usus recens, apud *Brant* exitus declinationis *debilis* exhibent : *rym* (versus) scilicet et *spæn* (assula), quæ vox pro *spân* usurpatur. Rem sic se habere probant complura exempla, velut : *ander rymen* (alios versus); *myn rymen* (versus mei) Prot., 19. 21. — *vil spænen* (multas assulas) 48, 55[1].

[1] Substantivum *span* temporibus quoque nostris dialectus alsatica sic inclinat.

B. De substantivis femininis.

Substantivorum femininorum quæ declinationem *debilem* sequebantur sermo mediævalis omnibus casibus singularibus et pluralibus exitum *n* vel *en* tribuebat, nominativo singulari excepto. Apud recentiores contra, omnes casus singulares flexu carent, plurales in *(e)n* exeunt. Cum *Brant* plerumque studeat exitus omnes movere, animadvertendum est præcipue quoad usum veterem secutus sit, et exempla colligenda sunt in quibus terminationes casuum singularis numeri modo inveniuntur modo absunt. Notemus præterea, jam prioribus temporibus multas voces non constanter eamdem declinationem esse secutas, sed ab his secundum *validam*, ab illis secundum *debilem* declinationem esse inclinatas. Ac primum quidem ea vocabula consideremus quæ in sermone mediævali constanter declinationem *debilem* sequebantur. Hæc plerumque apud *Brant* declinationis *debilis* exhibent exitus: G. *eynr frowen* (mulieris cujusdam) 64, 75. — *synr frowen* (uxoris suæ) 33, 85. — *der luten* (citharæ) 54, 3. — D. *synr frow* (uxori suæ) 33, 54. — 51, 2. — *der katzen* (feli) 110, 9. — *uff der gassen* (in via) 95, 38. — *der huben* (pileo), 93, 1. — A. *jr frowen* (dominam suam) 64, 62. — *jn die schlucken* (in vestem) 63, 75.

Majus autem habent momentum eæ voces quæ, jam apud superiores haud constanter flexæ, modo *debilis* modo *validæ* declinationis habebant exitus. Scriptorem nostrum, nisi fallimur, in his vocabulis flectendis præcipue *debili* declinationi indulsisse exempla probant quæ sequuntur, quamquam non raro, exitu moto, voces declinationem *validam* sequi videntur: *usz der büchsen* (e pyxide) 72, 45; *die büchsen* (pyxidem) 14, 2. — *uff erden* (in terra) 13, 24; *uff erd* 57, 72. — *usz der flæschen* (e lagena) 87, 16. — *in der hellen* (in inferis) 11, 10; *jnn die hell* (ad inferos) 50, 16. — *der wogen* (libræ) 102, 36; sed *eyn falsch wog* (libram falsam) 103, 33.

Quin etiam substantiva quæ apud superiores constanter aut

fere constanter secundum *validam* declinationem flectebantur *Brant* noster secundum *debilem* declinat, qualia sunt : *der gnaden* (gratiæ, Gen.) 101, 29. ; *die gnaden* (gratiam) 45, 28. — *dystlen* (cardui) 57, 63. — *in der mitten* (in medio) Prot., 22. — *mit schanden* (cum dedecore) 27, 28.[1]. — *vor der tueren* (foribus) 42, 26.

C. *De substantivis neutris.*

Substantivorum neutrius generis quæ *debilem* declinationem sequuntur, ut sunt per se haud frequentia, pauca exempla *Brant* præbet : *jrs hertzen*[2] (cordis sui) 53, 14. — *jn mym hertzen* (in corde meo) Prot., 27. — *syn hertz* (cor suum) 50, 14. — *oren* (aures) 1, 33. — *ougen* (oculi) 33, 11. — etc.

IV

Deinde in nominum propriorum declinatione nihil nobis occurrit dignum quod notaretur, nisi quod substantiva peregrina flexus modo germanicæ linguæ, modo linguæ de qua sumpta sunt recipiunt, modo omni flexu carent. Usum scriptoris nostri hæc exempla illustrant : *Susannen* (Genit.) 5, 31. — *Circes stall* (stabulum Circe) 13, 6. — *Didoni* 13, 28. — *die mur Hierusalem* (muri Hierosolymæ) 42, 30.

V

Adjectivorum declinationem denique examinemus. Sicut sermo mediævalis sinebat adjectivorum exitus tolli, ita quoque apud *Brant* adjectiva sæpissime flexu carent. Alias usus

[1] Substantivo *schande* scriptores qui merum exprimunt usum mediævalem ea tantum conditione declinationis debilis tribuunt exitus, ut personam significet.

[2] Apud *Geiler* contra occurrit jam genitivus *hertzens*.

scriptoris nostri nihil exhibet dignum quod notetur. Itaque satis esse nobis videtur, nonnullis exemplis prolatis in quibus cujusque casus, generis et numeri flexus apparent, locos quoque afferre quibus probetur Sebastianum *Brant* nullo discrimine totidem terminationes adjectivorum negligere.

I. Declinatio valida quæ dicitur.

Masc. *mit altem Segel* (cum vetere velo) Prot., 14. — *bœsen lon* (malam mercedem) 59, 22. —

Fem. *mit heller stym* (clara voce) 22, 1. — *guote fruocht* (bonum fructum) 106, 35.

Neutr. *zuo guotem werck* (bono operi) 84, 3. — *guots* (bonum) 68, 12. — *guotes* (bonum) 68, 13.

Plur. *grosse ketten* (magnæ catenæ) 4, 7. — *mit gantzen vollen ougen* (totis, plenis oculis) 53, 18. — Exitus contra tolluntur in exemplis quæ sequuntur : *lang leben* (longa vita) 90, β. — *allt wib und mann* (anus et senes) 13, 86. — *Darius der hat grosz mæchtig land* (Darius magnas, potentes regiones possidebat) 56, 13 et aliis multis.

2. Adjectiva articulo indefinito (ein) et adjectivis possessivis juncta.

Eyn bœser knecht (malus servus) 37, 21. — *eyns rechten narren* (vere dementis) 50, 24. — *usz eym eigenen mundt* (e proprio ore) 46, 12. — *ein blynden suon* (filium cæcum) 13, 13. — *syn letztes urteyl* (supremum judicium) 106, 2. — *eym üppigen wib* (mulieri luxuriosæ) 50, 2.

Flexu carent permulta exempla, velut : *ein nydisch schalckhafft knecht* (servus invidiosus, malitiosus) 57, 65. — *keyn besser narr* (nullus melior stultus) 97, 1. — *eyn guot frow* (mulier bona) 64, 9. — *myn grosz muegsam arbeyt* (magna mea, laboriosa opera) Prot., 29. — *eyn schantlich ding* (res infamis) 4, 1. — *keyn bitterer krut* (nulla herba amarior) 64, 52.

3. Declinatio debilis.

Der rechten kunst (veræ artis) 27, 11. — *die rechte kunst* (veram artem) 27, α. — *die wibschen man* (viri effeminati) 4, 4. — *die bloszen beyn* (crura nuda) 61, 24,

Sæpissime contra adjectiva flexu carent, velut in his exemplis: *der bœsz vyndt* (malus hostis) 97, 17. — *der gulden welt* (ætati aureæ) 83, 33. — *das gulden kalb* (vitulus aureus) 61, 9, etc.

Quæ ad usum nominis adjectivi in enuntiatione attinent tractabimus cum de syntaxi agemus.

CAPUT II

DE NUMERALIUM ET PRONOMINUM DECLINATIONE

I

Cum *articulus indefinitus* qui dicitur (*ein*) nihil sit nisi numerale cujus significatio extenuata est, de hujus declinatione hic tractabimus. Notabiles sunt præcipue formæ per concisionem contractæ quas *Brant*, exemplum sermonis mediævalis pariter ac dialecti alsaticæ secutus, frequentissime usurpat. Gen. Masc. *eins* 1, 34. — Fem. *eynr* 64, 75. — Dat. Masc. Neutr. *eym* 13, 27. — 30, 20. — Fem. *eynr* 16, 62.

Numerale *zwei* (duo) servavit apud scriptorem nostrum discrimen generis quod recentiores aboleverunt. Nom. Acc. Masc. *zwen* 13, 22. — 81, 27. — Fem. *zwo* 66, 70. — Neutr. *zwey* 16, 73. — Dat. *zweyn* 18, β. Tres: *dryg*[1] 48, 16. — *dry* 63, 69. — Quatuor: *vier* 63, 33, etc. — Novem : *nün* 110[a], 96. — Undecim : *elff* 54, 33. — *eylff* 93, 21. — Viginti: *zwentzig* 48, 50. — *zweintzig* 10, 32. — Quinque et viginti *zwentzig und funf* 66, 45. — Tres et sexaginta : *Sechtzig und dryg* 66, 42. — Nomina numeralia denaria contra usum mediævalem antecedunt.

Numerale ordinale *quartus* per *de* non per *te* effertur : *das vierd* (quartum) 64, 56. — *des vierden* (quarti) 64, 70. — *die vierden* (nom. plur.) 6, 67. Alia ordinalia nobis non occurrerunt.

Nomen numerale *dimidium* speciem modo *halb* modo *halber* habet; hæc temporibus adhuc nostris in dialecto alsatica occurrit : *halb nærrechter* (dimidio dementior) 6, 46. — *halber lær* (semivacuus) 48, 90.

[1] Cf. *Weinhold* in Gramm. alem. § 326.

II

A. *Pronomina personalia.*

Notabiles hæ formæ occurrerunt solæ: *mynen* (mei) 77, 50. — *synen* (sui) 105, 14. — *jren* (sui, Plur.) 49, 74, quæ figuræ genitivi, per syllabam *en* quasi firmatæ, apud *Fischart*, *Seb. Franck*, *Murner*, quoque occurrunt. *Brant* habet ceterum *din* (tui) 86, 24. — *sin* (sui) 13, 92. — *jr* (sui Plur.) 90, 24 [1].

Commemoremus præterea: *jer* [2] (vos N.) 6, 51. — *uch* (vobis, vos, Acc.) 6, 55. — 56, 44. — *üch* (vobis, vos, Acc.) 56, 42. — 21, 18. — *jn* 25, 20 vel *jnn* 13, 17 (eis).

Pronomen reflexivum apud *Brant* secundum normam usus mediævalis dativum a pronomine personali tertiæ personæ sumit, accusativum solum sibi habet proprium: Sing. Dat. masc. *jm* 37, 8. — Fem. *jr* 53, 10. — Acc. *sich* 53, 24. — Plur. Dat. *jn* 46, 2.

Non tantum pronomen neutrum *es* inclinativum est, ut apud recentiores, sed etiam plurale *sie*; utrumque interdum cum alio vocabulo, plerumque cum verbo coalescit ut, sublatis vocalibus, *s* consona sola servata, specie omnino permisceantur [3]: *dem kumbt desglich so ers nit meynt* (ei idem accidit cum non providet) 68, 16. — *Die... louffen umb als werens toub* (qui circumcurrunt quasi surdi essent) 61, 3.

[1] Notandum est ceterum formas genitivi *mynen*, *synen* semper adjectivum *glich* (similis) præcedere et in solis dictionibus *mynen glich*, *synen glich* inveniri. Occurrunt quoque figuræ *sin glich* P, 60 et *syns glich* 60, 10. Non constantior est usus auctoris nostri in dictionibus *ejusmodi*, *cujusmodi* exprimendis: *ander der glich buecher* (alii ejusmodi libri) P, 4. — *vil des glich buecher* 1, 18. — *der glichen mer* (alia ejusmodi) 101, 14. — *des glichen* (similiter) 90, 19. — De figuris *synen*, *jren* agit *Weinhold* in Gramm. mediæv. §§ 475. 479. — in Gramm. alem. §§ 414. 457.

[2] Formam *ier* *Weinhold* in Gramm mediæv. § 474 bavaricam appellat, non alemannicam.

[3] Cf. *Weinhold* in Gramm. mediæv. § 479.

B. De pronominibus et adjectivis possessivis.

In pronominibus aut adjectivis possessivis flectendis scriptor noster, dialectum provinciæ suæ secutus, vocali terminationis per concisionem mota, plerumque figuras contractas exhibet quamquam figuræ plenæ quoque occurrunt.

In terminatione *es* genitivi singularis masculini et neutrius generis vocalis *e* plerumque tollitur: *syns gespœts* (irrisus sui) 42, 28. —*jrs vatters* (patris sui) 90, 31. Quin etiam exitus nonnumquam omnino abest, velut in *syn spottes* (irrisus sui) 42, 29.

Exitus dativi singularis masculini et neutrius *em* modo servatur, modo *e* vocali sublata, cum radice coalescit: *mynem* (meo) 13, α. — *synem* (suo) 68, 20. — *jrem* (suo) 13, 44. — sed etiam *mym* 5, 18. — *sym* 68, 14. — *jrm* 13, 59.

Terminatio *er* denique singulari et plurativo numero tum servatur, tum vocalem *e* ejicit, tum omnino tollitur: *myner schand* (infamiæ meæ) 5, 11. — *syner frowen* (uxoris suæ) 64, 28. — *mynr boszheit* (malitiæ meæ) 5, 10. — *synr muotter* (matri suæ) 90, 28. — *der... nit syn eygnen bresten denkt* (qui suorum ipsius vitiorum non memor est) 21, 6.

C. Pronomina demonstrativa.

Cum *articulus definitus* (*der, die, das*) pronomen demonstrativum sit cujus significatio extenuata est, licebit nobis pauca quæ ad ejus declinationem pertinent hic inserere. Articuli ad præpositiones juncti figuræ contractæ tantum dignæ sunt quæ commemorentur. Coalescunt cum præpositionibus apud Sebastianum *Brant* non tantum dativus masculini et neutrius generum *dem*, feminini generis *der* et accusativus neutrius generis *das*, sed etiam figura *den*, sive accusativum singularem masculinum, sive dativum pluralem omnium generum expri-

mit, velut in his exemplis: *jnn berg* (in montem) 40, 33. — *an hals* (ad collum) 16, 74. — *undern ellenbogen* (sub cubitum) 18, 22. — *byn oren* (auribus) 72, 8. — *zuon wysen* (ad sapientes) P., 134. Omnes figuræ illæ, quas sermo urbanus recentiorum non recepit, a Sebastiano *Brant* de sermone vulgari assumptæ sunt.

Pronomen *der, die, das* per omnes casus flectere non operæ pretium esse videtur. Itaque eas tantum formas commemorabimus quæ cum usu aut sermonis mediævalis aut recentiorum discrepant. Sing. Gen. Masc. Neutr. *des* 30, β. — 37, 26, etc. — Fem. *deren* 92, 74. — Plur. Gen. *der* 56, 33. — Dat. *den* 16, 61. — 97, γ. — *dæn* 101, 27. — *dænen* 97, 8.

In pronomine *diser* (hic), *dise* (hæc), *disz* (hoc) flectendo, exitus *e* nominativi et accusativi feminini generis singulari et plurativo numero omnium generum plerumque tollitur: *disz welt* (mundus hic) 48, 85. — *dis narren* (stultos hos) 83, α. Item abest exitus *es* in nominativo et accusativo singulari neutrius generis secundum normam usus mediævalis: *disz schiff* (hæc navis) Prot., 14. — *dysz buochlin* (hic libellus) P., 46. In *s* consonæ vices, exitu sublato, *sz* nonnunquam sine ullo discrimine succedere ex illis exemplis satis elucet.

Pronominis *jener* notandus nobis visus est nominativus singularis neutrius generis *jhens* (illud) 72, 86. — 75, 26.

Pronomen *jeder* (quisque), modo solus modo cum articulo *ein* usurpatus, et per *j* et per *y* litteram effertur.

In pronomine *derselbe* (idem, is) declinando, *Brant* semper utramque partem vocabuli sejungit. Quin etiam, cum præpositio antecedit, nonnumquam articulus cum præpositione coalescit, velut in his exemplis: *am selben we* (eodem morbo) 21, 22. — *von selben dingen* (de eisdem rebus) 77, 50.

Pronomen *ipse* triplicem speciem *selber* 45, 6. — *selbst* 45, 8 et *selbes*, 81, 49 exhibet.

Licet proprie ad tertium librum, qui de informatione vocabulorum agit, pertineat diversas formas perlustrare quas pronomen *solcher* (talis) exhibet, hic tamen eas inserere satius est.

In hoc pronomine, apud scriptorem nostrum modo particula suffixa *ich* integra servatur, modo *i* vocalis tollitur; nunc *l* simplex usurpatur, nunc geminatur; vocalis *o* denique modo pura modo per *periphoniam* flexa occurrit: *sollich füllery* (talem vinolentiam) 16, 75. — *solich wort* (talia verba) 51, 27. — *sœlich meister* (talis magister) 6, 43. — *sollch leyd* (talis dolor) 33, 20. — *solch narrheyt* (talem dementiam) 45, 15. — *mit sœlcher mosz* (tali mensura) 2, 21.

D. De pronominibus relativis et interrogativis.

Pronomen *der, die, das* eodem modo flectitur quo pronomen demonstrativum: Sing. Gen. Masc. et Neutr. *des* 37, 28. — 68, 15. — Plur. Gen. *der* 21, 22. — Dat. *den*, 6, 54. — *denen* Prot., 20.

Pronomen *welcher* perraro usurpatum nonnumquam per abscissionem speciem *well*[1] adhibet: *well die besten meynen syn* (qui optimi esse putant) 10, 33. — *weller will leren jnn sym land* (qui in patria sua discere vult) 92, 23.

Pronominis *wer* 13, 30 nominativus et accusativus neutrius generis modo per *s* modo per *sz* effertur: *was* 5, 17. — *wasz* 5, 22. — Gen. *wes* 59, 20. — Acc.: *wæn* 13, 25. — 31, 31.

E. De pronominibus indefinitis.

Pronomen *aliquis* diversissimas præbet species: Nom. *yeman* P., 26. — *yemant* P., 133. — *yemens* 6, 23. — Dat. Acc. *yemans* 51, 2. — 77, 55[2].

Non constantius est pronomen *nemo*: Nom. *nyeman* 13, 20. *nyemans* 13, 5. — *nyemant* P., 6. — Dat. *nyeman* 51, 30. — *nyemans* 33, 63. — Acc. *nyeman* 53, 17 — *nyemans* 46, 42.

[1] Cf. *Weinhold* in Gramm. mediæv. § 490. — *Pfingstmontag*, V, 3, v. 11: *us wellem Lade* (e qua taberna).

[2] Cf. *Weinhold* in Gramm. mediæv. § 493. — Gramm. alem. § 448.

Pronomen *üt* (aliquid) *Brant* servavit, cum recentiores hoc rejecerint. Exstat exempli gratia in cap. 10 v. 5 : *Wer synem fründ üt ubels duot.* Ab hoc inclinatum pronomen *nihil* formas exhibet *nütz* 64, 70 et *nützet* 6, 94.

Pronomen *kein* (nullus) flectitur sicut *ein*. Forma *dehein* occurrit in cap. 55 v. 8 : *dheyner*.

Pronominis *all* declinatio peculiare nihil habet, præter quod in Nom. et Acc. Sing. neutrius generis vocalis *e* exitus *es* modo tollitur, modo servatur : *alles* 16, 93. — *alls* 6, 24. — — *als* 48, 6. — Tollitur præterea constanter exitus *e* nominativi et accusativi singularis feminini generis et pluralis omnium generum : *all welt* (totus mundus) 22, 6. — *all ding* (omnes res) 78, 5.

In *ander* (alius) et *manch* (multi) pronominibus declinandis, tolluntur non tantum exitus *e* quem communiter et in substantivis et in adjectivis et in pronominibus rejici supra notavimus, sed etiam sæpissime terminationes *er*, *es* generis masculini et neutrius singularis : *eyn ander* (alius) 68, 15. — *ander œl* (aliud oleum) 106, 11. — *manch boum* (multi arbores) 106, 34.

Hæc tempus satis designant quo, cum lingua veterem normam oblita non jam novam constituerit, omnia permixta et confusa videntur. Substantivorum genera non jam dilucide secernuntur : nomina nonnulla a masculino genere ad femininum, alia a feminino ad masculinum transierunt et genus neutrum utriusque juri derogavit. Simili modo, cum plerique casuum exitus submoti sint, utraque declinatio parum differt. *Validæ* declinationis casus qui terminationem *e* habebant, cum exitum omnem abjecerint, radicem exhibent nudam, quo fit ut tantum genitivus singularis exitu (*e*)*s*, dativus pluralis terminatione (*e*)*n* discernantur ; quin hi exitus ipsi nonnumquam absunt, quo omnes casus similes fiunt. Declinatio denique tota sic periisset, nisi ceteroqui contra factum esset.

Quod enim *periphonia*, quæ dicitur, magis magisque grassata est, sicut apud hunc scriptorem notavimus, eo tendebat ut declinatio firmaretur. Multis quidem substantivis *periphonia* tribuebatur quæ eam recipere non debebant, quo confusus dicendi usus, quem jam sæpe apparere vidimus, satis insignis fit. Sed *periphonia* saltem numerorum pluralis et singularis certam facit differentiam. De terminatione *er* quæ dicitur *paragogica* idem statuemus. Cum exitus *e* nominativi, genitivi et accusativi plurali numero abesset, casus hi nullo modo a singulari distabant. Terminatio *er* contra, quippe cui *periphonia* inhæreret, pluralem numerum omnino insigniebat. Sic manifestum fit cur hæc terminatio non solum inter nomina neutrius generis, sed etiam inter masculina grassata sit. Denique, quod nonnulla substantiva a declinatione *debili* in *validam* transierunt, firmatam quasi significat flexionem, quia genitivus singularis saltem peculiarem ita recipiebat exitum. Nihilominus autem manifestæ sunt præcipue confusio quædam et perturbatio quæ in declinandis adjectivis magis etiam apparent. Exitus enim horum nescio an frequentius tollantur quam substantivorum, atque, quod majoris fortasse momenti est, ex libidine terminationes modo usurpari modo tolli videntur.

CAPUT III

DE CONJUGATIONE

I

Cum multa quæ ad verba flectenda pertinent utrique conjugationi sint communia, primum hæc exponemus priusquam ad ea transeamus quæ cujusque conjugationis propria sunt.

Exitum *e* primæ personæ singularis præsentis indicativi tollebat semper sermo mediævalis cum *r* aut *l* consonæ antecedebant; cum *m* aut *n* prægrediebantur, exitus non constanter tollebatur; nequaquam autem post *b*, *d*, *g* consonas. Ceterum *e* vocalis ea tantum conditione tollebatur ut muta esset, id est ut syllaba antecedens vocalem brevem et consonam simplicem exhiberet [1]. Scriptor noster, utpote qui in nominibus quoque declinandis *e* finalem libentissime tollat, exitum primæ personæ in præsente indicativi conjugationum et *validæ* et *debilis* nullo discrimine semper movet. Verba conjugationis *validæ*, quorum infinitivus *e* vocalem exhibet in radice, secundum usum mediævalem vocalem *i* præbent, cum recentiores vocalem infinitivi servent [2]. Pauca exempla rem satis illustrabunt : *ich gib* (do) 5, 5. — *ich lysz* (lego) 1, γ. — *ich sprich* (loquor) 57, 27.

Item tollitur *e* finalis personarum primæ et tertiæ præsentis conjunctivi : *Wer schyessen will, der luog und triff* (qui telo ferire vult, is collineet et destinata petat) 75, α. Quin vocalem *i* pro *e* exhibet novissimum exempli vocabulum.

Secundæ personæ exitum *est* usus mediævalis semper ser-

[1] Cf. *Jac. Grimm*, in Gramm. Vol. I, p. 846-847 (928-929 in editione recenti).

[2] In recentiore quoque dialecto alsatica hic usus exstat.

vabat cum syllaba quæ antecedebat longa erat; movebatur contra plerumque *e* vocalis cum syllaba brevis prægrediebatur. Apud scriptorem nostrum, nullo discrimine facto, *e* vocalem modo servari modo moveri in verbis et qui *validam* et qui *debilem* sequuntur conjugationem exempla hæc probant: *du fallest* (cadis) 50, 16. — *du værchst* (times) 3, 16. — *du findst* (invenis) 3, 16. — *merckst* (animadvertis) 63, 25. — *richtst* (judicas) 2, 23. — *unwillest* (irasceris) 84, 24. — *versündest dich* (peccas) 28, 21. — Quin etiam, imprudens fortasse aut prolationem vulgarem imitatus, *Brant* hanc terminationem per *escht* pro *est* extulit in verbo *du wünschescht* (desideras) 43, 27.

Quotiescunque pronomen secundæ personæ verbum sequitur, cum hoc coalescit, velut in: *was tuostu* (quid facis) 46, 6. — *werstu* (esses) 46, 54. — *schwigstu* (taces) 51, 20 [1]. Notemus statim pronomen *sie* simili modo cum verbo posse coalescere. Tunc autem pronomen non servatur intactum, sed rejectis *ie* vocalibus, *s* consona remanet sola: *nitt achtens das all weltt verdærb* (nihil illorum — *scilicet* fœneratorum — refert totum orbem terrarum perire) 93, γ.

Sine ullo discrimine in exitu *et* tertiæ personæ singularis et secundæ personæ pluralis præsentis indicativi necnon participii perfecti verborum *debilium* vocalis modo servatur modo movetur; usus autem scriptoris nostris adeo non sibi constat ut eadem figura ejusdem verbi modo plena sit, modo concisa. Ac primum quidem verba *valida* consideremus, quæ ceterum id peculiare habent quod vocales quæ *periphoniam* recipere possunt tum puræ sunt, tum *periphonicæ*: *fallet* (cadit) 69, 18; *fellt* 16, α; *felt* 24, 6. — *haltet* (tenet) 84, 15; *haltt* 25, 34; *halt* 78, 18; *heltt* 75, 6. — *lydet* (patitur) 78, 19.; *lidt* 11, 20. — *schyltet* (vituperat) 40, 13; *schylt* 40, 5. — Quod ad verba *debilia* attinet, tertiæ personæ præsentis indicativi et participii perfecti

[1] Hic usus, cui merus sermo mediævalis indulgebat, et temporibus adhuc nostris dialecto alsaticæ acceptus est, et apud alios priorum temporum scriptores occurrit qui hanc dialectum sequuntur, velut *Geiler et Fischart.*

exempla promiscue citare non incommodum videtur: *achtet* (æstimat) 54, 8; *acht* 33, 51. — *bettet* (precatur) 45, 1; *bett* 45, 29. — *geschændet* (ignominia notat) 42, 19; *geschænt* (ignominia notatus) 42, 21; *geschend* (item) 72, 86. — *suochet* (quærit) 37, 3; *suocht* 22, 18.

Prima persona pluralis nonnumquam exit in *ent*[1], quam terminationem usus mediævalis recte tertiæ personæ plurali tribuebat: *wir farent* (vehimur) 43, 19.

Multo sæpius secunda persona pluralis exitum *en* recipit qui secundum normam usus mediævalis primæ personæ proprius erat: *jr haltten* (servatis) 88, 17. — *Ir sitzen* (sedetis) 56, 40. — *jr werden zergan* (peribitis) 56, 47. — *hueten üwer ere* (servate decus vestrum) 77, 75. — *mercken* (attendite) 22, 4, etc. — Quin etiam nonnulla exempla probant apud scriptorem nostrum tres personas plurales omnino permisceri, quoniam secunda persona pluralis pariter ac prima persona nonnumquam exitum *ent* recipit quem tertiæ personæ proprium esse supra diximus: *Værchten den herren, dyenent jm* (dominum timete, eum colite) 56, 43. — *Sindt witzig* (prudentes estote) 56, 41[2].

Tertia persona pluralis denique plerumque secundum normam usus mediævalis servavit apud Sebastianum *Brant* exitum *ent* aut *end*: *dochtent* (meminerant) P., 93. — *duont* (faciunt) 4, 6. — *fuorend* (vecti sunt) 11, 11. — *stossend* (collidunt) 10, γ. — *wærent* (durant) 66, 105-

Usus mediævalis in exitu *en* primæ et tertiæ personæ pluralis et infinitivi omnium verborum necnon participii perfecti verborum *validorum* vocalem *e* per concisionem movebat cum *l* aut *r* consonæ præcedebant, ea tamen conditione ut syllaba

[1] De exitu *ent* in prima et secunda personis pluralibus agit *Weinhold* in Gramm. mediæv. §§ 369. 396. — Gramm. alem. §§ 342. 367.

[2] Simili modo exitui *et* secundæ personæ pluralis dialectus alsatica ætate adhuc nostra terminationem *en* succedere vult quæ apud *Fischart* quoque pervulgata est. Exitus *ent* temporibus quidem nostris obsolevit, quamquam *sind* pro *seid* (estis) adhuc usurpatur, sed apud Johannem *Geiler* exempli gratia frequentissime occurrit.

quæ anteibat brevis esset et consona simplex. *Brant* hic quoque licentia usum conditionem eam nullo modo servavisse multis probatur exemplis. Vocabula *farn* (vehuntur) 64, 54. — *geschworn* (juratus) 64, 10. — *verlorn* (perditus) 31, 9 vocalem exhibent quidem brevem in radice; sed *Brant* non servavit normam usus prioris quod in vocibus *sie wern* (essent) 40, 24. — *urteiln* (judicare) 2, 20 vocalem sustulit.

In verbis denique quæ apud recentiores in *eln*, *ern* exeunt flectendis, scriptor noster modo utramque *e* vocalem servavit, et quæ anteit et quæ sequitur liquidam, modo dialectum alsaticam imitatus quæ hæc verba ita profert, vocalem quæ consonam præcedit sustulit, numquam eam quæ sequitur. Inter multa exempla proferamus tantum hæc : *bettlen* (mendicare) 19, 48. — *besseren* (corrigere) 31, 2. — *murmelen* (murmurare) 97, 20; *murmlen* 28, 30. — *sæglen* (vela dare) 109, 15. — *wandlen* (migrare) 34, 19[1].

Quæ utriusque conjugationis communia sunt, illa nobis digna visa sunt quæ notarentur. Nunc ad conjugationem transeamus quæ *valida* dicitur.

II.

Ac primum quidem, quod ad præteritum attinet, usus mediævalis præterito multorum verborum quorum infinitivus vocales *e* aut *i* exhibet vocales *a* et *u* tribuebat, quarum altera singularis numeri propria erat, altera plurativi. Obsolescente sermone medii ævi incredibilis invasit confusio, cum usus vulgaris inter vocales *a*, *o*, *u* suspensus teneretur. Sensim pedetentimque apud recentiores res ordinata est, ac sic quidem ut una vocalis singulari et plurativo numero usurparetur. Sebas-

[1] Norma sermonis mediævalis volebat, si vocalis radicis brevis esset, utramque *e* vocalem servari, velut in *bëtelen* (mendicare); contra, si vocalis radicis esset promissa, *e* vocalem terminationis ejici, velut in verbo *bezzern* (corrigere). Cf. *J. Grimm* in *Gramm.*, I, p. 876 (957).

tianus *Brant* autem, usum mediævalem secutus, utrique numero diversam tribuit vocalem, velut *schelten* (conviciari) per *apophoniam* (*Ablaut*) flectitur in *schallt* (conviciatus est) 40, 15 et *schulten* (conviciati sunt) 42, 32. — Item occurrit *starb* (mortuus est) 90, 23. — *sturben* (mortui sunt) 25, 11. Alia verba, quorum præteritum nostris temporibus vocalem *o* exhibet, apud *Brant* singulari saltem numero *a* vocalem servaverunt, velut *vacht* (pugnavit) 76, 10. — *schar* (totondit), 60, 17, quin etiam *zam* (decuit) 36, 23, quod verbum apud recentiores in *debilem* transiit conjugationem.

In perfecto verborum *validorum* alius quoque ordinis informando, scriptor noster usum mediævalem secutus est. Eorum verborum *validorum* quorum infinitivus vocalem *i* promissam præbebat, velut *glîchen*, *schrîben*, *trîben* et alia, perfectum diphthongum *ei* singulariter, vocalem *i* brevem plurativo numero recipiebat. Cum temporibus nostris vocalis *i* promissa infinitivi in diphthongum *ei* mutata sit, uterque numerus præteriti vocalem *i* aut diphthongum *ie*, quæ vocalem *i* promissam figurat, recepit. Apud *Brant* contra, quippe qui vocalem *i* promissam infinitivi servaverit, præteritum præbet easdem figuras quæ prioribus temporibus exstabant. Occurrunt sic præterita *schrey* (clamavit) 11, 31. — *bleib* (mansit) 8, 20. — *schreib* (scripsit) 86, 48. — *greiff* (prehendit) 56, 24 et multa alia. Sequente *ch*, diphthongus *ei* in *ê* vocalem mutatur, velut in cap. 33 v. 18 exstat præteritum *lech*[1] (commodavit).

Participia deinde secundum conjugationem *validam* informata occurrerunt nobis *gbannen* (interdictus) 95, 3. — *gebuwen* (constructus) 39, 22, utrumque in sermone mediævali usitatum, quorum hoc usque ad tempora nostra servavit dialectus alsatica, cum sermo urbanus utrumque in *debilem* traduxerit conjugationem. Contra verbum *underwîsen* (instruere) participium præbet *debile* in cap. 6 v. 3 : *underwiszt* (instructus). Omnino singulare est præteritum conjunctivi *ruefft* (invocaret)

[1] Cf. *Weinhold* in Gramm. mediæv. § 354.

38, 43 verbi *rufen* secundum conjugationem *debilem* inclinatum.

Quodsi *Brant* in verbis *validis* conjugandis mediævalem plerumque secutus est sermonem, quantum absit ut usus ejus constans sit optime apparebit, si unius verbi *werden* (fieri) formas commemoraverimus. Ind. Præs. S. II. *würdst* 90, γ. — *würst* 43, 18. — *wurst* 43, 30. — III. *würt* 5, 7. — *wirt* 5, 25. — *wurt* 13, 11. — *wyrt* 106, 7. — *württ* 77, 11. — *wurd* 16, 81. — *wuord* 46, 78. — Plur. III. *werden* 61, 29. — *werdent* 22, 30. — Præt. III. S. *wart* 55, 19. — III. Pl. *wurden* 25, 17. — *wurdent* 42, 31. — Conj. Præt. III. S. *würd* 13, 71. — I. Pl. *wurden* 28, γ. — Imper. II. S. *würd* 86, 20.

Nescio an melius illustrent confusionem illam conjugationis verba quæ anomala dicuntur e quibus nonnulla exempla proferemus. Verbum *lassen* (sinere) exempli gratia diversissimas exhibet figuras, atque velut infinitivus in *lan* contrahitur, sic quoque similes syllabarum coitus præbent plerique ceteri modi ceteraque tempora Ind. Pr. Sing. I. *losz* 1, 12. — *ich mich verlan* (confido) 1, 4. — III. *loszt* 5, 1. — *verlaszt* (deserit) 19, 11. — *lot* 6, 17. — *lat* 4, 7. — *latt* 60, 13. — Plur. III. *lont* 33, 94. — *verlossen* (deserunt) 8, 8. — Conj. Pr. Sing. III. *losz* 97, 11. — Præt. III. S. *liesz* 13, 65. — Imp. II. S. *losz* 57, 13. — II. Pl. *lont* 72, 76. — Infin. *lan* 31, 3. — *lon* 90, 4. — Part. Pr. *verlossend* (deserens) 90, 3. — Part. Præt. *gelossen* 33, 68. — *gelon* 40, 21. — *gelan* 33, 66.

Similem formarum mixturam exhibent alia verba, velut *gehen* (ire), *stehen* (stare), præteritopræsentia *kœnnen* (posse), *dürfen* (posse), *sollen* (debere), *wollen* (velle), *mægen* (velle, posse), *müssen* (oportet), *wissen* (scire), præter quæ usque ad tempora nostra in sermone urbano servata, *Brant* verbum *tar* (audeo) usurpat quod, apud superiores frequentissimum, ætate nostra obsolevit. Hujus verbi occurrerunt personæ prima et tertia numeri singularis I. *gtar* 5, 11. — III. *tar* 75, 39. — *gtar* 59, 13. — Anomala sunt quoque et diversissimas exhibent formas verba *thun* (agere), *haben* (habere) quod pariter

ac *lassen* figuras contractas præbet, *bringen* (afferre), *denken* (cogitare). Sed longum est omnia perlustrare; quare satis erit si verbum substantivum *sein* (esse) descripserimus, Ind. Pr. S. I. *ich byn* 5, 2. — III. *ist* 53, γ. — Pl. I. et III. *sint* 78, α. — 1, 33. — 27, 22. — II. *sindt* 6, 54. — III. *sindt* 4, 16. — *syndt* 27, 17. — *synt* 33, 6. — Præt. III. S. *was* 50, 24. — *wasz* 66, 31. — *wassz* 81, 5. — III. Pl. *woren* 83, 26. — *worent* 33, 22. — Conj. Pr. III. S. *sie* 72, 86. — *sy* 5, 23. — *sig* 29, 32. — *syg* 29, 21. — III. Pl. *sygen* 6, 9. — Præt. II. S. *werst* 84, 22. — III. *wær* 71, 33. — Sed multo sæpius occurrit *wer* 13, 44, etc. — III. Pl. *weren* 53, 32. — *wern* 40, 24. — Imperat. II. S. *bisz* 25, 25. — II. Pl. *synt* 22, 25. — Inf. *sin* 1, 23. — *syn* 5, 10. — Part. *gesin* 16, 47. — *gsin* 109, 27. — *gesyn* 66, 87. — *gsyn* 53, 32. — *gwæsen* 34, 15.

III

Nonnulla tantum observare superest quæ, conjugationi *debili* peculiaria, supra non notavimus dum de conjugatione generaliter tractaremus.

Cum vocalem finalem *e* sæpissime moveri a scriptore nostro et in conjugatione et in declinatione identidem observaverimus, non mirum nobis videbitur in præterito quoque indicativi conjugationis *debilis* vocalem hanc tolli, quo tertia persona singularis præteriti cum tertia persona præsentis indicativi permiscetur. In iis verbis quæ exeunt in *d* vel *t*, coalescit exitus *t* præteriti cum consonante finali radicis, ut terminatio præteriti omnino evanescat: *bschuldt* (accusavit) 90, 17. — *bstellt* (curavit) 1, 13. — *füllet* (implevit) 16, 27. — *gerdt* (cupiebat) 75, 55. — *strofft* (punivit) 6, 26.

Verbis nonnullis quorum infinitivus vocalem *periphonicam* (*e*, *æ*, *ö*, *œ*, *ü*, etc.) exhibet, usus mediævalis per *periphoniam inversam* (*Rückumlaut*) reddebat præterito et participio

perfecti vocales puras *a*, *o*, *u*. Apud recentiores perpauca tantum verba, quorum infinitivus præbet *e* vocalem, velut *brennen*, *kennen* et nonnulla alia, *periphoniam inversam* servaverunt. Omnia alia per omnes modos et omnia tempora vocalem exhibent *periphonicam*. Apud scriptorem nostrum, utpote cujus sermo nullo modo sibi constet, norma usus mediævalis partim accuratius servata videtur quam apud recentiores; partim autem nonnulla verba quæ usque ad tempora nostra æquabiliter vocalem puram in præterito et participio perfecto præbent apud *Brant* haut constanter modo puram modo *periphonicam* exhibent : *gebrant* (combustus) 106, 10; *verbrennt* 13, 80. — *erkant* (cognitus) 59, 34; *erkent* P., 64. — *genant* (appellatus) 61, 31; *gnent* P., 63[1]. — *schanckt* (fudit) 11, 13. — *noch stalt* (insidiatus est) 56, 63. — *dott* (occidit) 56, 67. — *hort* (audivit) 6, 39. — *vorcht* (timebat) 66, 23.

IV.

Quodsi conjugationem verborum, qualem scriptor noster usurpat, cum declinatione nominum conferimus, illam multo integriorem esse servatam quam hanc apparet. Cum enim in declinatione exitus *s* genitivi singularis declinationis *validæ* et *n* dativi pluralis soli ferme intacti permanserint, conjugationis terminationes fere omnes integræ sunt servatæ. Cur res ita se habeat dilucide apparet. Substantivorum scilicet exitus vocales erant quæ in *e* vocalem extenuatæ facillime moveri poterant; verborum contra terminationes e consonis, quin e consonis congestis constantes, vocis vitio non tam facile tollebantur. In verbis tamen conjugandis dialecti Germaniæ superioris id quoque spectabant ut prolatione radix maxime excelleret, parum curantes exitus hoc extenuari. Commemo-

[1] Participia hæc per *e* vocalem formata servat temporibus adhuc nostris dialectus alsatica. Exempla permulta exstant in comœdia quæ inscribitur *Pfingstmontag*.

remus tantum primam personam singularem indicativi præsentio, necnon primam et tertiam personam singularem conjunctivi præsentis omnium verborum exitum *e* amisisse, quin præteriti verborum *debilium* primam et tertiam personam *e* finalem amovisse, ut nullo modo a tertia persona singulari præsentis indicativi discernantur.

Aliud autem est dignum quod animadvertatur, confusæ scilicet tres personæ plurales apud scriptorem nostrum, necnon apud æquales ejus. Confusionis illius causa facile erui potest. Etenim olim terminationes verbales pronomina personalia erant quæ exituum instar radici verborum adjuncta sunt. Postea, quid significarent terminationes illæ cum jam non manifestum esset, pronomina iterum personas verbi præcesserunt. Postquam omnes personæ verbi hoc modo satis diligenter secretæ sunt, exitus trium personarum pluralium magis magisque confusi sunt, quod eo facilius fieri poterat quod terminationes hæ *en*, *et*, *ent* simillimæ erant. Hoc quoque permixtam linguam testatur, nec minus testantur illam formæ verbales quæ vocalem modo puram modo *periphonicam* exhibent, aut anomalium verborum figuræ diversissimæ quarum exempla nonnulla supra protulimus. Non fieri poterat ut usus scriptoris hujus tam inconstans esset si *Brant* noster non dialecto, utpote quæ non certam habeat normam, sed linguæ urbanæ paruisset quæ lege grammatica esset usa.

LIBER TERTIUS

DE INFORMATIONE VOCABULORUM

Quodsi in flexu nominum et verborum adhibendo auctor noster sæpissime usum exhibet qui cum mera lingua medii ævi discrepat, quæ ad informationem vocabulorum pertinentia occurrerunt apud eum notanda congruunt fere omnia cum sermone mediævali; pauca ab hoc discrepantia dialecto peculiaria sunt.

CAPUT I

DE VOCABULIS DERIVATIS

A. *De Vocabulis per vocales derivatis.*

Apud *Brant* duæ tantum vocales ad vocabula derivanda usurpantur : primum *e*, quam vocalem plerumque tolli nobis non mirum videbitur cum supra flexus nominum et verborum tot exempla sublatæ *e* vocalis obtulerit, deinde *y* vocalis cujus in vices, ad vocabula quæ ab aliis linguis sumuntur informanda usurpatæ, apud recentiores plerumque *ei* diphthongus successit.

Per *e* vocalem derivantur præcipue substantiva a verbis et ab adjectivis. Pleraque substantiva per *e* vocalem a verbis

derivata quæ nobis apud *Brant* occurrerunt jam apud scriptores prioris ætatis exstant et usque ad tempora nostra permanent. Ea omnia commemorare haud scio an operæ pretium sit. Itaque nonnulla tantum exempla proferemus in quibus substantiva inveniuntur, sermoni mediævali usitata, quæ apud recentiores obsoleverunt : *eyn narr verstaht sich nit uff fuor* (stultus ad regendum currum non valet) 109, 19. — *Verlosz dich nit uff solche harr* (Ne in tali mora acquiescas) 86, 21.

Prior sermo multa substantiva ab adjectivis per *e* vocalem derivata usurpabat, postea inveterata, quæ apud *Brant* servantur, velut : *ællt* (ætas) 73, 84. — *falsch* (fallacia) 33, 64. — *gemeyn* (societas) 33, 43. — *schwartze* (color niger) 101, 35. — *unkusch* (impudicitia) 16, 18. — *vile* (multitudo) 78, 26. — *vœll* (saturitas, ebrietas) 81, 52. — Notandum est apud recentiores plerumque substantiva composita in vicem vocum derivatarum successisse. Multa præterea ejusmodi vocabula apud *Brant* occurrunt quæ usus recens servavit.

Per *y* vocalem derivantur apud scriptorem nostrum vocabula quorum alia omnino obsoleverunt, alia apud recentiores *ei* aut *ie* diphthongos exhibent. Talia sunt : *artzeny* (remedium) 57, 51. — *fantesy* (vana imago) 57, 13. — *libry*[1] (bibliotheca) 1, 4. — *maletzy* (lepra) 55, 30. — *narry* (stultitia) 16, 76[2].

B. Vocabula per consonas derivata.

Nobis præcipue notandum videtur scriptoris nostri sermonem, ut multa vocabula per vocales derivata servavit pro quibus apud priores usitatis recentiores voces compositas subjecerunt, ita quoque permultas voces quæ per consonas deri-

[1] Hoc vocabulum in sermone mediævali speciem *liberîe* præbebat.

[2] In hac voce informanda, *Geiler* quoque et *Luther* syllabam derivativam, nulla alia interposita, radici conjungunt et substantivum *narrei* (*y*) usurpant. Apud *Fischart* et Paulum *Fleming*, hoc vocabulum speciem *narrerei* (*y*) habet ; apud *Logau* et alios scriptores scholæ silesiæ, formam *narrethey* quam usque ad tempora nostra servavit.

vantur, alias usui universo sermonis mediævalis communes, alias dialecto provinciæ suæ peculiares exhibere, quorum vicem apud æquales nostros explent voces quæ ex pluribus vocabulis coaluerunt.

Ac primum quidem per *l* consonam derivata occurrerunt substantiva et verba haud infrequentia : *doppel*[1] (pignus) 75, 42. — *die göffel* (amatores) 62, 4. — *die löffel* (amatores) 62, 3[2]. — *klüpfel* (fustis) 23, γ. — *marmel* (marmor) 85, 128. — *zuodüttlen* (adulari) 100, 17, a quo verbo derivatum substantivum *zudüttler* (adulator) usurpant *Luther* quoque et *Fischart*. — *an gæfflen* (adspectare) 32, 28, quod verbum sine dubio substantivo *göffel* proximum est. — *kyfflet* (rodit) 53, 23[3]. — *die nochburn mumlen*[4] (vicini mussitant) 33, 42. — sed *murmelen* (mussitare) 97, 20.

Sebastianus *Brant* dialectos Germaniæ superioris imitatus ad deminutionem significandam constanter syllabas *lin*, *le*, *ly* usurpat. Hæ particulæ licet fere constanter vocalem substantivi *periphonicam* faciant, nonnulla tamen exempla vocalem præbent puram : *ein æglin* (festuca) 21, 12. — *benckly* (parva subsellia) 91, 15. — *buochlin* (libellus) P., 46; *buechlin* P., 84. — *flæschlin* (laguncula) 81, 46. — *ærtelyn* (quarta pars aurei) 72, 16. — *rünsly* (rivulus) 71, 20. — *sæchle* (parva causa) 71, 19. — *ein schlægle visch* (parva copia piscium) 71, 16. — *stundlin* (momentum) 25, 9; *stündlin* 56, γ. Per syllabam derivativam *chen* inclinatum occurrit solum substantivum *böttchen* in cap. 48 v. v. 85-86 : *all disz welt Sich vast des köllschen Böttchen helt* (omnes conditionem faciunt qualis Agrippinensibus in usu est);

[1] Hoc substantivum per *t* pro *d* elatum in sermone mediævali exstat.

[2] Vocabulis his nescio an dialectus alsatica præcipue faverit, cum apud *Murner* substantivum *geffel*, apud *Geiler* vox *leffel* occurrant et Johannes *Fischart* utrumque in vocabulo composito *gæffellæflicheit* conjunxerit, quem titulum operi cuidam supposito scribit quod in libro suo commemorat qui *Gargantua* inscribitur.

[3] Hoc verbum apud *Geiler* quoque occurrit.

[4] *Luther* quoque hoc verbum usurpavit.

hoc in loco dilucide apparet scriptorem nostrum dialecto Germaniæ inferioris paruisse.

Per *r* consonam derivantur præcipue a verbis substantiva masculina personam significantia quæ id agit quod verbum indicat. Alia occurrerunt perpauca digna quæ notarentur: *hofer* (struma, gibbus) 26, 51. — *kocher* (pharetra) 13, 26; *kœcher* 13, 32. Inter substantiva per *er* derivata quæ personas significant, primum notandum est alia vocalem puram servavisse, alia *periphonicam* exhibere velut: *brœter* (assator) 81, 56. — *hæher* (carnifex) 42, 21. — *spœtter* (derisor) 42, 23. Contra: *barfuosser* (franciscus) 64, 30. — *buoler* (amatores) 13, 14. *prasser* (nebulo) 81, 18. Vocabulum *keller* (cellarius) 81, *a*. scriptor noster sermonem mediævalem secutus per *er* syllabam derivat, cum usus recens *ner* syllabæ faveat; contra in vocabulis *glysszner* (astutus) 80, 20. — *redner* (orator) 71, 21. *ner* syllabam adhibet, qui usus sermone mediævali jam receptus usque ad tempora nostra valet. Occurrunt præterea apud *Brant* nonnulla substantiva per *ler* derivata quæ neque sermo mediævalis usurpabat neque sermo urbanus recentiorum recepit, qualia sunt: *köuffler*[1] (scrutarius) 82, 57. — *schmyrtzler*[2] (avarus) 33, 87.

Verba per *er* derivata scriptor noster multa usurpat, alia a comparativis inclinata, velut *gehöheret*[3] (elatus) 92, 124. — *die müntz die schwœchert*[4] *sich* (moneta adulteratur) 102, 24, alia a substantivis tracta, qualia exstant in his exemplis: *den... schwagert yederman* (quisque eum levirum appellat) 102,

[1] Hoc substantivum in dialecto bavarica quoque exstare testatur *Schmeller* in Glossario dialecti bavaricæ.

[2] Substantivum *schmirtzler Geiler* quoque recepit.

[3] Verbo cujus participium hic commemoratur et formam *hœhern* a comparativo inclinatam et speciem *hœhen* a positivo tractam usus medii ævi tribuebat.

[4] Sermo mediævalis receperat quidem verbum *swachen* (debilitari) a positivo adjectivo *swach* (debilis) inclinatum, nullum autem a comparativo verbum inclinaverat.

44. — *losz wittern*[1] *in* (sine eum — *scil.* Deum. — tempestatem excitare) 28, 17; alia velut *nydert*[2] (deprimit) 92, 123 ab adverbio declinata.

Per *ieren* inclinata verba non infrequentiora sunt apud *Brant* quam in sermone recenti; quin etiam occurrerunt nobis nonnulla quæ recentiores rejecerunt, qualia sunt: *buobelieren* (nequam esse) 27, 6. — *hofiern* (cumulate tractare) 17, 16. — *glosyeren* (fucare) 104, 55. — *tabernyeren* (epulari) 81, 17.

In substantivo *byeren* (piri) 94, 8 efferendo, *Brant* dialectum provinciæ suæ imitatus *n* consonam derivativam sustulit. Amisisse eam plerumque verba *lernen* (discere), *rechnen* (computare) et *zeichnen* (indicare) permulta probant exempla, qualia sunt: *leren* (discere) 42, 1. — *lern* (discere) 42, 16. — *lert* (discit) 22, *α*. — *rechten* (computabant) P., 97. — *ræcht... usz* (computavit) 66, 47. — *zeychet usz* (indicat) 112, 50; contra *rechnet usz*[3] (computavit) 66, 37.

In adjectivis deinde syllaba derivativa *in* apud *Brant* plerumque hanc figuram servavit: *sylberin* (argenteus) 63, 63. — *wæchsin* (cereus) 71, 11. Attamen usus scriptoris nostri haud ita sibi constat ut non in vicem syllabæ *in* successerit nonnumquam *en*, quam speciem usus recens huic syllabæ constanter dedit. Tale est adjectivum *gulden* (aureus) 13, 29; deinde *hültzen* (ligneus) 110[b], 91. — *strœwen* (stramineus) 13, 1, quibus adjectivis recentiores syllabam derivativam *ern* tribuerunt. Adjectivum *ferr* (longinquus) autem apud Sebastianum *Brant* nondum *n* consonam finalem recepisse quam sermo recens sine jure ei addidit, multis probatur exemplis, velut: *von verren landen* (e longinquis regionibus) 71, 22.

In *on geferd* (casu) 20, 11 *Brant t* finalem servavit, sermoni

[1] Eamdem dictionem usurpat *Geiler*.

[2] In vicem hujus verbi jam in sermone mediævali usurpati substituerunt recentiores *erniedrigen*.

[3] Temporibus nostris dialectus alsatica verba *lernen*, *rechnen*, *zeichnen*, sine *n* consona derivativa usurpat: Cf. *Pfingstmontag*, I, 6, v. 66: *reche* (computare).

mediævali usitatam, quam usus recens rejecit. Nonnulla alia vocabula per *t* consonam derivata in talem sententiam accipiuntur qualem apud æquales nostros jam non servaverunt, velut *gifft* (donum) 32, 31. — *tracht*, quæ vox *ferculum* significat in cap. 81 v. 38 : *vil der trachten* (multa fercula). Pariter vocabulum *tugent* latius patet quam apud recentiores, cum ei notio rerum gestarum subjecta sit in cap. 8 v. 21 : [*Machabeus*] *vil grosz tugent hat getan* (M. multa præclare gessit). Occurrerunt quoque nobis substantiva per *st* biconsonam derivata, qualia sunt *brest* (vitium) 55, β[1]. — *glast* (fulgor) 28, 4. — *plast* (spiritus) 66, 23, quæ vocabula sermoni mediævali usitata postea obsoleverunt, et *füst* (navis rapida) P., 15, quæ vox a sermone urbano mediævali aliena erat. Contra, in vocabulo *vernunfft* (ratio) 16, 9 informando, *Brant* priores non secutus est qui hoc sæpius per *st* pro *ft* efferebant.

Per *tz* biconsonam derivata haud scio an vocabula nonnulla commemorare operæ pretium sit, velut : *lefftzen* (labia) 51, 11, cujus vocis in vicem dialecto alsaticæ[2] et urbano sermoni mediævali usitatæ, successit apud recentiores substantivum *lippe*; deinde vocabulum *sturtz* (velamen muliebre) P., 112 quod pariter obsolevit; denique in cap. 46 v. 14, occurrit vox *gœtz* (idolum) quæ longe alia fortuna, a sermone mediævali aliena, in usu recentiore trita ac celebrata est.

Vox *essich* (acetum), quæ temporibus Sebastiani *Brant* modo per *g* finalem, modo per *ch* biconsonam efferebatur, hanc figuram exhibet apud scriptorem nostrum in cap. 97 v. 6; per *g* consonam elati vocabuli contra nullum nobis occurrit exemplum.

Adjectivorum per *ig* syllabam derivatorum permulta invenimus exempla quæ peculiare aliquid præbent, velut: *bärmig* (clemens) 14, 3. 4, quod vocabulum temporibus nostris obsolevit, cum in ejus locum successerit adjectivum compositum *barmherzig*; hoc tamen adjectivum quoque a scriptore nostro in cap. 14 v. α usurpatur. — *freydig* (audax) 74, 19. — *gyttig*

[1] Substantivum *brest* temporibus adhuc nostris in dialecto alsatica viget.
[2] Occurrit substantivum *leftzen* apud *Geiler* quoque et *Fischart*.

(cupidus) 83, 41. — *melbig* (pulverulentus) 34, 31, quæ adjectiva haud secus ac substantiva a quibus derivantur temporibus nostris perierunt. — *lichtferig* (levis) 9, 7 cujus vices suscepit apud recentiores *leichtfertig*. — *manig* (multi) 32, 22. — *mornig* (crastinus) 31, 22, cum in cap. 37 v. 8, adjectivi per *d* consonam a substantivo *morn* (crastinus dies) derivati occurrerit exemplum : *den mornden tag* (crastinam diem). — *pflychtig* (debens) 57, 29 ; pro hoc adjectivo, sermoni mediævali usitato, recentiores adjectivum *schuldig* usurpant quod apud nostrum quoque scriptorem in cap. 57 v. 30 invenitur. — *schœllig* (ferus, concitatus) 110 ᵇ, 35. — *stettig* (asper — *scil.* equus) 59, 11. Adjectivum *billig* (æquus) non per *ig* sed per *lich* derivari recentiores obliti sunt. *Brant* contra adamussim usurpat constanter *billich* : 16, α. — 59, 6, etc. — Notum est *ig* syllabam in verba quoque a substantivis derivanda sæpissime inseri, cum verba sine ulla interjecta syllaba derivari possint et superioribus temporibus derivarentur. Ita *Brant* pro verbo *kriuzen* (cruci figere) quod sermo mediævalis fere constanter usurpabat adhibet verbum *krützigen* (27, 19) a recentioribus receptum.

Per *nisz* derivata substantiva notabilia visa sunt : *btrügnisz* (fraus) 102, 80, pro quo substantivo recentes *betrug* usurpant et *bzügnisz* (demonstratio) 64, 2.

Syllabæ derivativæ *ing*, *ling* in nonnullis substantivis occurrunt, qualia sunt : *kyseling* (lapis) 32, 2, vox sermoni mediævali usitatissima, — *weydling*[1] (scapha) P., 16. — Vocabulum *pfennig* (obolus) cum modo in *ig*, modo in *ing* exit, tum modo per *n* consonam simplicem, modo per geminatam effertur.

Apud recentiores multa substantiva feminina per *ung* syllabam a verbis derivantur. Hæc, prioribus temporibus multo rariora, apud *Brant* haud infrequentia occurrunt, atque, cum sermo recens ea præcipue a verbis compositis inclinet, scriptor

[1] Substantivum *weidling* usurpare *Tschudi* et Sebastianum *Franck* testatur *Zarncke* in editione sua *Navis Stultiferæ*. Occurrit quoque in *Pfingstmontag*, I, 6, v. 107.

noster hoc proprium habet quod apud eum hæc substantiva sæpius de verbis simplicibus flexa sunt. Sæpe utrumque verbum, simplex et compositum, simul ad substantivum per *ung* syllabam derivandum usurpatur, velut *husung* (domicilium) 106, 28. — *bhusung* 24, 16. Commemorabimus præterea *bärmung* (misericordia) 14, 21, quod substantivum pariter ac adjectivum *bärmig* a radice *barm* inclinatur, *füllung* (plenitudo) 106, 23. — *straffung* (pœna) 6, 23.

Syllabæ *isch*, ad adjectiva de substantivis flectenda usurpatæ, *i* vocalis apud scriptorem nostrum modo servatur, modo tollitur, modo ejus vices præstat vocalis *e*: *kyndesch* (puerilis) 64, 75. — *eyn Kyndschen ratt* (consilium puerile) 46, 73. — *nærrisch* (insanus) 13, 84. — *den halt ich für ein nærschen gouch* (hic mihi insanus homo stultus videtur) 10, 27. — *nydisch* (invidiosus) 57, 65; *nydesch* 64, 59. Unum verbum per *sch* flexum nobis occurrit: *rætschen* (conjicere, fabulari) 39, 16, quod temporibus adhuc nostris in dialecto alsatica tritum est[1].

Syllaba derivativa *echt* apud *Brant* constanter *e* vocalem servavit quam sermo mediævalis ei tribuebat, nec unquam per *i* effertur. Multa adjectiva per *echt* flexa quæ apud eum invenimus in linguam urbanam ætatis recentioris non transierunt, sed perierunt alia omnino, alia in dialectum recepta sunt: *dorecht* (insanus) 43, 13. — *glatzeht* (calvus) 42, 32. — *hockecht* (aduncus) 13, 29. — *huffecht* (acervatim) 56, 10. — *narrecht* (demens) 54, 25. His adjectivis dialectus alsatica favisse videtur quoniam apud *Geiler* quoque et *Fischart* frequentissime occurrunt[2]. Vocabulum *narrecht* dialectus alsatica, ætate adhuc nostra servatum, per *e* promissam et apertam profert.

Ex his colligi potest, sicut supra animadvertimus, temporibus scriptoris nostri vocum inclinatarum usum multo latius patuisse quam apud æquales nostros: multarum enim vocum inclinatarum quæ nobis apud Sebastianum *Brant* occurrerunt

[1] Cf. *Pfingstmontag*, IV, 4, v. 38: *Retsch furt* (garrire persevera).
[2] Cf. *Pfingstmontag*, III, 7, v. 57. *rainlecht* (munde).

præstiterunt vicem postea et præstant adhuc ætate nostra vocabula composita. Quod ex eo sciri potest, quia particulæ quæ ad voces inclinandas usurpantur usu quasi tritæ extenuantur. Primum vivebant hæ quodammodo, quidque significarent omnes intelligebant. Postea, qui esset earum sensus cum nemo meminisset, successerunt in locum earum substantiva quædam, quorum et ipsorum significatio extenuata est, quæque cum particulis nullo modo discrepare videntur. Successit ita in locum substantivi *falsche* nomen *falschheit*. Aut visum est oportere confirmari quasi vocabula derivativa interpositis syllabis quæ proprie necessariæ non erant. Obtinet sic apud recentiores verbum *erniedrigen* vicem verbi *nidern* quod apud *Brant* adhuc invenitur; sic usurpatur *kreuzigen* temporibus nostris pro *kriuzen*. Simili modo, ad formanda adjectiva quæ materiam quamdam designant, substituerunt novi exitum *ern* in locum particulæ *în* aut *en* quæ apud auctorem hunc adhuc occurrebat. Quod contra particulam *ner* pro *er* in vocabulis *redner*, *glyssner* et aliis usurpat, *Brant* cum æqualibus nostris consentit.

In *Navi stultifera* deprehendere licet denique, particulæ *esch* orthographiam nullo modo sibi constare, tum usurpari multas voces derivativas quæ, a mero sermone mediævali alienæ, dialecto alsaticæ peculiares fuisse videntur; postremo frequentissime occurere externa substantiva per *y* vocalem, verba autem per syllabas *ieren* inclinata.

CAPUT II

DE VOCIBUS COMPOSITIS IN QUIBUS NOMINA TANTUM AUT FREQUENTATA AUT OBSOLETA EXSTANT

Licet voces compositæ quæ e vocabulis ætate adhuc nostra usitatis coaluerunt multimodis ad propositum pertineant nostrum, cum aliæ cum sermone mediævali congruant, aliæ dialecto alsaticæ peculiares esse videantur, longum est tamen de his multa dicere, præsertim cum eas enumerare glossarii magis sit quam grammaticæ. Quare perpauca tantum exempla proferemus. Quantum hac quoque in parte grammaticæ sermo mediævalis et dialectus alsatica convenerint demonstrant vocabula qualia sunt: *fæderspyl* (falco) 8, 4. — *rœrroub* (quæstus meretricius) 33, 44 quæ, prioribus temporibus usitata, ætate nostra obsoleverunt; nec minus declarant dictiones quales sunt: *gen mitternacht* 66, 42. — *gen mittemtag* (meridie) 66, 44 in quibus adjectivum *mitte* adamussim usus superiorum declinatur, cum apud recentiores flexus ei desit aut forma immutabilis facta sit. Aliæ contra voces, mero sermone mediævali non receptæ, dialecto propriæ fuisse videntur, quales sunt: *blætschkouff*[1] (emptio dolosa) 93, 17. — *juff-kynd*[2] (adolescens perditus) 66, 85. — *stoszbæren*[3] (plostella) P., 17. — Sed in his non diutius immorati, ad eas voces trans-

[1] Vocabulum illud quid significet explicat locus quidam Libelli juris argentinensis quem *Zarncke* commemorat; cum sermo urbanus mediævalis id non usurpaverit, manifestum fit id soli dialecto fuisse usitatum.

[2] Vox *juff*, *jauff* apud *Murner et Fischart* occurrit.

[3] Aetate nostra hoc vocabulum dialectus alsatica, quod scimus, jam non usurpat; sed occurrit substantivum simili modo compositum, *schaltbœr*, quod eamdem habet significationem.

eamus in quibus nomina obsoleta cum vocabulis frequentatis coaluerunt.

Ac primum quidem particulas *heit*, *keit* consideremus. Adjectiva simplicia plerumque cum *heit* componuntur, secundum normam usus mediævalis quæ usque ad tempora nostra viget. Invenimus tamen : *fulkeyt* (segnities) 97, 32. — *tragkeit* (segnities) 97, α, quæ voces cum *keit* compositæ sermoni mediævali quoque usitatæ erant. Inveteravit item substantivum *hübscheyt* (pulchritudo) 26, 45, licet particulam *heyt* præbeat. Adjectiva per *er* derivata aut cum *bar* composita constanter cum *keit* non cum *heit* componi videntur, velut : *bitterkeyt* (amaritudo) 50, 30. — *erberkeyt* (honestas) 61, 16. — Quæ adjectiva cum *lich* composita sunt nonnumquam *keit*, sæpius *heit* recipiunt : tum coalescunt consona finalis particulæ *lich* et consona initialis particulæ *heit* : *getzlicheyt* (gaudium) 26, 21. — *heymlicheyt* (secretum) 39, 25; *heymlichkeyt* 51, α. — *rylicheyt* (liberalitas) 85, 104. In plerisque adjectivis per *ig* derivatis coalescunt *g* consona finalis particulæ hujus et *h* consona initialis particulæ *heit* in *k* consonam, quæ fuit origo particulæ *keit*. Raro *g* consona ante *k* consonam repetitur : *bschydikeit* (solertia) 8, 8. — *ewikeyt* (æternitas) 22, γ; *ewigkeit* 106, 29. — *eynfaltikeyt* (simplicitas) 18, 30. — *fürsichtikeyt* (prudentia) 28, 9. — *hertikeit* (duritia) 2, 32. — *omæchtikeyt* (impotentia) 87, 8. — *unsynnikeit* (insania) 66, 60. — *wollustikeyt* (voluptas) 50, 31 pro quibus substantivis fere omnibus et vigebant in sermone mediævali et prævaluerunt apud recentiores vocabula in quibus particula *heit* aut *keit* non exstat. In substantivo *ungehorsamkeit* (contumacia) 99, 84 denique, coaluit particula *keit* cum adjectivo cum *sam* composito.

Cum particula *schaft* deinde composita notanda sunt substantiva *werschafft* (cautio) 48, 26. — *kuntschafft* (testimonium, scientia) 16, 61. — 81, 12, quæ substantiva sermoni mediævali usitata apud recentes obsoleverunt. Præter hæc non minus est notabilis vox *begangenschafft* (modus acquirendi) 63, 53 in qua particula *schaft* cum participio præteriti coaluit.

Particula *bar* apud *Brant* modo hanc speciem præbet, velut in adjectivis *fruochtbar* (fertilis) 27, 9. — *unstantbar* (inconstans) 6, 80, modo mutatur in *ber* vel *per*, velut in *erber* (honestus) P., 123[1]. — *schamper* (impudens) 33, 50. — 72, α. Hæc species antiquitatem redolet, cum particulæ *bar* sermo mediævalis figuram *bære* constanter tribuerit, figura *bar* contra multo recentior sit. In hac particula usurpanda *Brant* inter sermonem mediævalem et usum qui apud recentiores prævaluit fluctuat.

Cum particula *lich* composita vocabula apud scriptorem nostrum vocalem modo puram exhibent modo *periphonicam*, cum in sermone mediævali pleraque vocalem habuerint puram: *schantlich* (turpis) 4, 1; *schœntlich* 4, 25. — *sorglich* (molestus) 30, 27; *særglich*[2] 6, 20. — *mærtlich*[3] (mortifer) 87, 17. — *tœtlich*[4] (mortalis) 54, 14. — Apud recentiores vocalis constanter per *periphoniam* mutatur.

Nonnulla adjectiva in quibus ætate nostra particula *haft* exstat occurrunt apud *Brant* cum *haftig* composita, quod probat exemplum: *eyn boszhafftigen man* (virum malum) 42, 13. Licet hoc adjectivum temporibus adhuc nostris in dialecto alsatica frequentatum sit, adeo non ei peculiare est ut *Luther* id non et ipse usurpet.

[1] Recentiorem quoque dialectum alsaticam huic usui favere probant hæc exempla quæ in comœdia *Pfingstmontag* inscripta exstant: *erwer* (honeste), I, 6 v. 14. — *ebs koschbrers* (aliquid majoris pretii) IV, 2 v. 30. — *wachber* (vigil) II, 5 v. 19.

[2] Hoc adjectivum constanter per vocalem puram in sermone mediævali elatum et *molestum* et *sollicitum* significat. Hæc vox hunc sensum ætate nostra nonnumquam servavit, illum apud *Fischart* adhuc servatum perdidit.

[3] Hoc adjectivum a sermone mediævali alienum apud *Luther*, *Fischart* et alios occurrit.

[4] Adjectivum *tœtlich* in sermone mediævali et *mortalem* et *mortiferum* significabat; illum sensum apud recentes *sterblich* exprimit cum *tœtlich* hunc tantum servaverit.

CAPUT III

DE NOMINIBUS CUM PRÆVERBIIS COMPOSITIS

Fere omnia vocabula quæ notanda occurrerunt cum usu mediævali congruunt. Ac primum quidem veterem particulam *a* (*o*), quæ vocabulum negabat quocum conjungebatur, invenimus apud *Brant* in voce *omæchtikeit* (impotentia) 87, 8, cum apud recentiores ejus vicem *ohn* particula præstet. Cum *ab* particula composita occurrit dictio *abschnyd der ere* (dedecus) 101, 13, quæ a sermone mediævali aliena apud *Hans Sachs* quoque invenitur.

An particulam exhibet substantivum *anzeig* (indicium) 101, 3, pro quo vocabulo recentiores *anzeichen* usurpant. Vim adjectivi habet vocabulum *andaht* (devotus) in cap. 25 v. 2 ubi legimus : *duot andaht gbet* (facit preces devotas), cum sermo mediævalis et usus recens in adjectivo *andæchtig* usurpando consentiant [1].

Cum particula *auf* (*uff*) coaluerunt substantiva *uffsatz* [2] (odium, invidia) 77, 58. — *uffschlag* [3] (mora) 31, 5.

Be particula exstat in infinitivo *benuegen* qui vim substantivi habet in cap. 24 v. 13: *womit man muoz benuegen han* (qua in re acquiescere oporteat), necnon in adjectivo *bschyd*

[1] *Brant* quoque adjectivum *andechtig* in cap. 91 v. 31 usurpavit.

[2] Eamdem significationem cum habeat hoc substantivum apud *Geiler*, et cum in Glossario bavarico quod edidit *Schmeller* eodem modo explanatum commemoretur, dialectis Germaniæ superioris peculiare haberi potest.

[3] Hoc vocabulum apud *Geiler* quoque occurrit. Sermo vetus (*Althochdeutsch*) verbum *ufslagôn* (differre) usurpabat, quod ætate nostra servavisse dialectum bavaricam *Schmeller* testatur.

(prudens) 64, 33 pro quo recentiores *gescheidt* usurpant, utrumque in sermone mediævali frequentatum. Vocabulum *byschlack* (nothus, spurius, res parvi pretii) 54, 18, quod particulam *bei* (*by*) exhibet, contra ad dialectos Germaniæ superioris referre licet[1]. In *entbor* (in altum) 15, 8, particula *ent* propriam suam speciem servavit quam in sermone mediævali exhibebat, cum apud recentiores hoc vocabulum in *empor* mutatum sit. Adjectivum *erkant* adamussim usus mediævalis in cap. 34 v. 30, celebrem significat cum temporibus nostris hæc sententia adjectivo *bekannt* subjiciatur.

Ge particula apud recentiores in nonnullis vocabulis, *e* vocali amissa, cum radice coalescere videtur. *Brant* contra, usum mediævalem secutus, *e* servavit, velut in *gelyd* (membrum) 19, 27. — *des gelückes* (fortunæ) 6, 77. — *gelich* (similis) 10, 21. Alia quoque vocabula cum *ge* præverbio composita, quæ notanda occurrerunt, pertinent pleraque ad sermonem medii ævi. Talia sunt: *gebracht* (strepitus) 44, tit. — *gebrust*[2] (penuria, vitium) P., 47. — 34, 7. — *gedat* (factum) 12, 5. — *gefert* (mos) 48, 61. — *gemach* (quies) 78, 16. — *gmerck* (animi intentio) 75, 19. — *geschrifft* (scriptura) P., 1. — *geseyg* (mire de l'arbalète) 75, 48. — *gewell* (vomitus) 81, 44. Adjectivum *ungerüwig*, quod usum mediævalem secutus *Brant* usurpavit in cap. 19 v. 35, apud recentiores sine præverbio *ge* occurrit. Conveniunt pariter cum sermone mediævali adjectiva *geferd* [mhd. *gevære*] (cupidus) 95, 36 et *gefueg* (paratus) 95, 34.

Cum usu mediævali congruit quoque substantivum *hynder red* ad calumniam significandam in cap. 101 v. 13 usurpatum, cum apud recentiores substantivum *nachrede* hanc vim habeat. Hanc vocem scriptor noster usurpavit et ipse in cap. 19, v. 39: præverbium *nach* exstat pariter in vocabulo *noch*

[1] Hoc enim substantivum apud *Murner*, in Monetarum æstimatione bernensi (*Münz-Würdung zu Bern 1477*), quin etiam apud *Logau* occurrere *Zarncke* testatur.

[2] *Geiler* quoque hoc substantivum usurpat quod in sermone mediævali perrarum erat.

wynd (ventus secundus) 109, 15 quod in sermone mediævali frequentatum perdiderunt recentiores, cum substantivum *widerwynd* 109, 14 cui sententia contraria subjicitur, sermoni quoque mediævali usitatum, apud *Opitz*, quin etiam apud *Gœthe* occurrat. Adjectivo *nochgültig* (indignus, nequam) 70, 1 denique dialecti Germaniæ superioris potissimum favisse videntur [1].

Cum præverbiis *über*, *um*, *unter*, *ur*, *ver*, *für* (*vor*), *wider* composita nomina nonnulla tantum commemorabimus quæ omnia cum usu mediævali congruunt: *uberhang* in dictione *uberhang* (*—nck*) *nemen* (præstare) 66, 106. — 38, 12. — *überlast* (onus) 90, 7. — *übernütz* (usura) 93, 15. — *umblouff* (limbus togæ) 4, 19. — *underscheit* (discrimen) 16, 17, quod substantivum *Brant* per *ei* diphthongum effert adamussim usus mediævalis, non per diphthongum *ie* quæ in sermone mediævali quoque frequentata apud recentiores prævaluit. — *urtrütz* (defessus) 103, 136. — *veracht* (contemptio) 19, 39. — *vergunst* [2] (invidia) 53, α. — *für louff* (exemplum) 61, 14. — *widerfall* (lapsus) 69, β. — *zuo widerstrit* (certatim) 19, 68.

[1] *Geiler* quoque et Sebastianus *Franck* adjectivum *nachgültig* usurpant.
[2] Apud *Luther* adhuc hoc substantivum invenitur.

CAPUT IV

DE PRÆVERBIIS QUÆ CUM VERBIS COALUERUNT

Permulta verba cum præverbiis composita *Brant* usurpavit, in sermone mediævali frequentata, quæ apud recentiores inveteraverunt. Quotiescunque ad rem pertinebit indicabimus occurrantne eædem voces apud provinciales scriptoris nostri quales sunt *Geiler*, *Murner*, *Fischart*, aut apud auctores notabiles ex aliis regionibus oriundos, velut *Luther*.

1) *Ab*: *die hantwerk gont vast ab* (artes magnopere se inclinant) 48, 30. — *hoff ich des esels kumen ab*[1] (spero fore ut asino expediar) 78, 10. — *nüt mit lieb lont kumen ab* (nihil finem amicum capere sinunt) 71, 3. — *myn rymen sint vil abgeschnitten* (versus mei maxime mutilati sunt) Prot., 21.

2) *An*: *an gan* (aggredi) 101, 6. — *an gon* (affectare) 90, 18. — *anlachen*[2] (deridere) 54, 25. — *er dürfft nit arbeit han ankert*[3] (eum laborare non opus erat) 66, 89. — *Alleyn eygen nutz sehen an*[4] (solam utilitatem suam considerare, æstimare) 46, 72. — *es statt eyn pfundt den jæger an* (est venatori sumptui unius libræ) 74, 10. — *Das er die narren kapp streifft an*[5] (se amictu

[1] Verbum *abkommen* (expediri), apud recentiores rarum, semper cum præpositione *von* conjungitur. Cum genitivo conjunctum occurrit contra apud *Luther*, *Fischart*, *Logau* et alios.

[2] Apud recentiores verbi *anlachen* significatio extenuata cum latini verbi *arridere* significatione congruit.

[3] *Luther* quoque verbo *ankehren* significationem *applicare* tribuit.

[4] Sæpissime apud *Luther* quoque verbum *ansehen* hunc sensum habet.

[5] Eumdem sensum *Fischart* quoque verbo *anstreifen* tribuit.

stultorum indui) 16, 26. — *was der selen heyl antrifft*[1] (quod pertinet ad salutem animæ) P., 2. — *dann es in zuo gewynn antrifft* (nam eorum commodi causa refert) 65, 80.

3) *Auf* (*uf*): *wann es uffkunt zum hœchsten* (cum in summum perducitur) 37, 5. 6. — *zuo borg uff nemen* (mutuare) 25, α. — *wie ich der narren schiff uff rust* (quomodo navim stultiferam instruam) P., 14. — *uff setzen* (in ludum conferre) 77, 86.

4) *Aus* (*usz*): *usz ecken* (angulos metiri, computare) 66, 28.

5) Supra commemoravimus substantivum compositum *begangenschaft* (modus acquirendi); verbum a quo flexum est occurrit nobis in cap. 63 v. 85 secundum normam sermonis mediævalis usurpatum: *vil bgont sich wol zu wiszbrott mitt* (multi [per mendicationem] eo perveniunt ut panem candidum edere possint). Congruunt quoque cum usu medii ævi verba quæ sequuntur: *sint behafft* (occupati sunt) 81, 11. — *behan* (retinere) 33, 65. — *behebt* (retinet) 83, 24. — *das jm vil lüt bekum* (quod ei multi obviam eunt) 80, 14. — *er beleydt* (lædit) 104, 12. — *berœmt* (maculosus) 34, 33. — *berichten sich* (discere) 1, 17. — *wer beruemet sich* (qui gloriatur) 43, 1. — (*es*) *beschach* (accidit) 33, 81. — Pro *be* præverbio, sermo recens in hoc verbo *ge* usurpat; in aliis verbis successit apud recentiores in vicem præverbii *be* particula *ver*, velut in *verschulden* (merere de), pro quo verbo *Brant* sermonem mediævalem secutus *beschulden* usurpat in cap. 90 v. 17.

6) Præverbium *dar*, quod in sermone recentiore perpauca verba exhibent, apud *Brant* sæpius occurrit: *das kumbt usz synem hochmut dar* (hoc e superbia ejus manat) 68, 20. — *So lieff man hundert mylen dar* (a centum millibus passuum accurrerent) 11, 8. — *Der bœsz vyndt... sægt gar bald syn somen dar* (diabolus citissime semen suum serit) 97, 18. — *Der gyfft dar schmeycht* (qui per adulationes venenum bibere suadet) 99, 150.

7) Sicut *dar* apud *Brant* puram loci significationem servavit,

[1] Apud *Hans Sachs* quoque hoc verbum *pertinere* significat; in Fischarti libro contra qui inscribitur *Ehzuchtbüchlein* id significare *valere* commemorat *Zarncke*.

ita quoque *ein* (*in*), quod præverbium, apud recentiores extenuatum, per particulam *hin* corroboratum est. Est enim sic secundum usum mediævalem, in cap. 69 v. 5 : *yeder vor dem wald jn byltt* (unusquisque prope sylvam stans latrat).

8) Præverbium *ent* et in nonnullis verbis specie servata non in *emp* mutatum est, velut in *entpfellen* (jubere) 5, 18. — *entpfing* (accepit) 13, 60. — *entpfyndt* (sentit) 71, α, et in aliis locum dilucidius indicat quam apud recentiores, quæ erat principio ejus significatio ; talia sunt participia *entwert* (demptus) 57, 8. — *entzuckt* (raptus) 86, 50.

9) Cum *er* præverbio composita occurrerunt multa quoque verba sermoni mediævali usitata, temporibus nostris obsoleta, velut : *erdættet* (occisus) 56, 38. — *erholt* (accepit) 101, 25. — *Vil handt erkundt verr fræmbde lant* (multi cognoverunt longinquas, peregrinas regiones) 66, 131. — *erlyden* (tolerare) 48, 40. — *erston* (nasci) 83, 71. — *du vil land ersuochet hast* (multas regiones lustravisti) 34, 23. — *sie ervolgten rum* (acquirebant gloriam) 36, 12. — *das das husz erwag* (ut domus concutiatur) 72, 67. — *erzügen* (conficere) 48, 13. Commemoremus præcipue verba transitiva *erstecken* (suffocare) 101, 22 et *ertrencken* (mergere) 53, 22, necnon verbum *erwürgen* quod intransitivam habet significationem in cap. 83 v. 109 : *Das er erwürg in todes strick* (ut stranguletur letifero funi).

10) Secundum usum mediævalem, nonnulla verba præverbio *ge* quasi firmantur ut comprehensiva aut durativa fiant, velut : *gelyden* (pati) 54, 3. — *gemercken* (animadvertere) 60, 5. — *getragen* (portare) P., 18. — *getuon* (facere) 24, 4. — *gewenden* (mutare) 24, 34. — Singularis autem particulæ *ge* usus exstat in cap. 38 v. 64 : *was sich gelibt das gesœlt sich ouch* (quod providet corpori providet quoque animæ).

Participium præteriti apud *Brant* plerumque *ge* particulam exhibet, sed non constanter : participia verborum compositorum sæpissime, cetera nonnumquam præverbio carent : *er ist nit bliben* (non remansit) Prot., 6. — *uff brocht* (ablatus) 66, 104. — *zamen brocht* (collectus) 63, 8. — *eyn brotten tub*

(columba assata) 57, 18. — *gloubt* (creditus) 101, 30. — Verbi *essen* (edere) participium jure semper præbet figuram *gessen* [57, 5. — 84, 11]. — Mirum est contra participium *gedurechtet* (cruciatus) 27, 24.

11) Validior quam temporibus nostris apparet secundum usum mediævalem significatio præverbii *hin* in hoc exemplo: *dem wyrt das selb genomen hyn* (illi hoc — *scil.* talentum — demitur) 106, 7.

12) *Brant* autem contra usum mediævalem participium *bluotend* (cruentus) cum præverbio *ein* (*in*) composuit in cap. 22 v. 33: *Inbluotend*[1] (intus sanguinem fundens).

13) Secundum usum mediævalem pro *nachstellen* (sequi) verbo composito usurpari potest verbum simplex *stellen* præpositioni *nach* conjunctum: *noch dem bœsen stellen duot* (malum sequitur) 78, 33. — Verbum compositum tamen non deest: *Zambry sins herren rich nochstalt* (Z. domini sui imperio insidiatus est) 56, 63.

14) *Ueber* (*uber*): *Bisz er das falsche wib überbœszt* (donec perfidam mulierem malitia superaverit) 108, 81. — *Wer synen kynden übersicht* (qui connivet liberis suis) 6, α. — *Eyn mued rosz das man uber tribt* (equus defatigatus qui exagitatur) 59, 10. — *So hatt man sich dann uber wibt* (tum connubium non compar est) 52, 15.

15) Plurima occurrerunt verba cum præverbio *ver* composita quæ, sermoni mediævali usitata, apud recentiores obsoleverunt aut significationem mutaverunt; ex illis nonnulla tantum eligemus: *Mit schwigen man veranttwurt vil* (silentio multa respondemus) 19, 25. — *verkluegen* (obtegere) 101, 15. — *verlyegen* (fallere) 101, 9. — *verlygen* (negligere) 63, 13. — *Sylenus der verlag sich nit* (S. non moratus est) 66, 83. — *verloschen* (exstinctus) 65, 91. — *verlüten* (dedecorare) 71, 8. — *vermænckeln* (miscere) 102, 79. — *Und hant doch bald vernuw-*

[1] Verbum *inbluoten Geiler* quoque usurpavit.

gert[1] *dran* (et tamen gratiam novitatis mox exuerunt) 34, 9. — *got des menschen sich verruocht* (deus hominem negligit) 23, 7. — *das er verschlagen hat syn pfund* (se talentum suum condidisse) 106, 4. — *versessen* (neglectus) 78, 2. — *versetzen* (declinare — *scil.* ictus —) 101, 11. — *versteynen* (lapidibus cædere) 87, 31. — *vertreit* (calumniatur) 101, γ. — *vertriben* (vendere) 48, 22 [2].

16) *Vor: vorhaldt* (retinet) 59, 12, cujus quoque verbi præverbio corroborato, recentiores usurpant *vorenthalten.* — *Balthesar durch sünd sym ziel kam vor* (B. peccato mortem suam prævenit, festinavit) 86, 46.

17) *Wider: haben jm gantz widerseyt* (eum — *scil.* deum — omnino ejuraverunt) 87, 7.

18) *Zu* (*zuo*): *Phenix, den peleus synem suon Achilli suocht, und zuo wolt duon* (Phœnix quem Peleus filio ipsius quæsivit et dare voluit) 6, 33-34. — *zuo riehten* (parare) 64, 86. — *zuostan* (auxiliari) 99, 153.

19) Præverbia autem composita et ipsa multo sæpius cum verbis coalescunt apud *Brant* quam per normam sermonis mediævalis licebat. Exempla exstant permulta inter quæ nonnulla commemorabimus: *Abher falt* (cadit) 26, 68. — *abhyn schlucken* (sorbere) 110ᵃ, 8. — *fürhar bringen* (exhibere) 103, 49, quibus in verbis recentiores ordinem utriusque præverbii inverterunt. — *eyn gsellen schiff fert yetz do hær* (navis quæ vectores portat nunc appropinquat) 48, 1. — *gat her fuer* (exit)

[1] Hoc verbum sermoni urbano recentiorum insolens in dialecto alsatica temporibus nostris adhuc occurrit.

[2] Notandum nobis videtur temporibus quoque nostris dialectum alsaticam mirum in modum verbis cum præverbio *ver* compositis favere, pro quibus sermo urbanus verba cum præverbiis *er* aut *zer* composita usurpat, licet non congruant cum iis quæ apud *Brant* occurrerunt. Talia sunt verba : *sich verkälten* (refrigescere). — *versaufen* (mergi). — *verschrecken* (terrere). — *vertragen* (tolerare). — *verwachen* (e somno suscitari). — *verwitschen* (deprehendere), quo in vocabulo *t* consona exstat inserta. — *verwürgen* (strangulare). — *verzählen* (narrare). — *verzürnen* (irritare). — *verbrechen* (perfringere). — *verbröckeln* (in micas fricare). — *verdrucken* (obterere). — *verreissen* (dilacerare), etc.

97. 29. — *naher gan* (sequi) 27, 4. — *wenn eyn kleyn zyt umbhar gat* (si parvum tempus præterit) 81, 31. — *kumbt hin fuor* (abit) 42, 24. — *wie sie sich enthaltten uff* (quomodo stent) 66, 15. — *die stieben zuoher* (circumvolitant) P., 21. — *trag nym har zuo* (jam non magis affer) 64, 68. — *har zuo har trag* (affer) 64, 64.

20) Cum in his quæ supra exposuimus verba composita nobis occurrerint quæ partim omnino obsoleverunt, partim cum aliis tantum præverbiis conjuncta usque ad tempora nostra servata sunt, haud abs re esse videtur nonnulla verba enumerare quæ a Sebastiano *Brant* secundum usum mediævalem simplicia usurpantur, apud recentiores composita tantum exstant; alia simplicia a scriptore nostro transitive usurpantur quæ nunc constanter intransitiva sunt et composita tantum cum præverbio transitiva fiunt.

Verba quæ exstant in exemplis insequentibus apud recentiores cum præverbio *be* composita occurrunt tantum, cum Sebastianus *Brant* ea simplicia usurpet : *wann er alleyn ist darff ers nit* (si solus est, ei hæc res non opus est) 63, 66. — *Dycearchus der fleisz sich des Das...* (D. enixus est ut...) 66, 29-30. — *gært* (cupit, petit) 57, 81. — *stat* (manet, durat) 14, 27. — Nonnulla autem verba, quæ cum *ge* præverbio tantum a recentioribus usurpantur, inveniri simplicia apud *Brant* multis probatur exemplis, velut : *der ander brucht syn fryen will* (alius libero arbitrio utitur) 57, 56. — *Wæn hie die leng zuo leben lust* (quem hic diu vivere delectat) 43, 14. — Substantivum quoque *schenck* (munus) occurrit in cap. 46 v. v. 81 et 84 pro voce *geschenk* quam recentiores usurpant solam.

Similiter verbum simplex *gründen* (scrutari) invenimus in cap. 57 v. 81, pro quo recentiores *ergründen* usurpant. Cum verbum simplex *schweigen* (tacere) apud æquales nostros intransitive semper usurpetur, transitive tantum *verschweigen*, usum mediævalem secutus, *Brant* verbo simplici transitivam significationem dedit in cap. 51 v. α : *wer nit kan schwygen heymlicheyt* (qui secretum tacere non potest).

CAPUT V

DE ADVERBIIS ET CONJUNCTIONIBUS

Pleraque adverbia de substantivis et adjectivis flexa sunt, nonnulla de pronominibus aut de numeralibus; alia denique peculiaria vocabula deductiva sunt; nonnumquam præpositiones quoque adverbiorum vim habent.

A. *De adverbiis ab adjectivis inclinatis.*

A genitivo inclinatum commemorabimus adverbium simplex *sunders* (præsertim) 6, 4 quod sermoni mediævali respondet, cum recentiores compositum *besonders* usurpent.

De accusativo adjectivorum flexa adverbia nonnulla tantum proferemus quæ, cum usu medii ævi congruentia, apud recentiores obsoleverunt aut significationem mutaverunt: *bald* (celeriter) 48, 42. — *dick* (sæpe) 18, 10. — *fast* [*vast*] (magnopere) 1, 21. — 16, 65. — *fry* (certe) 75, 29. — *stæt* (constanter) 45, 1. — *voll* (omnino) 84, 4. E præpositione cum adjectivo conjuncta constat adverbium *jnn gheym* (secreto) 51, 22.

Multis denique in adverbiis adjectivum cum particula *lich* compositum occurrit quæ nonnumquam pleniorem figuram *lichen* retinuit: *blintlich* (cæci modo) 2, 4. — *dapferlichen* (fortiter) 5, 21. — *frylich* (aperte) 103, 146. — *kurzlich* (mox) 56, 45. — *schlæhteklich* (male) 70, 20. — *üppeklich* (molliter) 63, 89. — Postremo adverbium *stümpfling* (celeriter) 85, 96 per *ling* derivatur.

B. De adverbiis quæ a substantivis inclinata sunt.

Genitivum sæpissime adverbialiter usurpari sermo quoque recentior multis testatur exemplis. Notandum occurrit adverbium *des morndes* (proxima die) 16, 46 quod apud recentiores *mane* tantum significat. Figura contracta *morn* substantivi *morgen* sermoni mediævali erat usitatissima.

Accusativus substantivorum haud ita sæpe apud *Brant* adverbii vim habet, velut in : *dickmol* (sæpenumero) 84, 11. — *die lcng* (diu) 14, 17. — Adverbium *nah* (fere) 40, 12 ab adjectivo an a substantivo inclinatum sit dubium esse videtur.

Persæpe usurpatur adverbialiter substantivum cum præpositione conjunctum, qualia sunt adverbia : *bywil* (interdum) 42, 20. — *underwil* (nonnumquam) 56, 61. — *zuomol* (simul) 18, 10. — *zuo zytten* (aliquando) 59, 17. — *ee zyt* (præmature) 92, 8.

Per particulam *lich* quoque nonnulla adverbia a substantivis inclinantur, velut : *fliszlich* (diligenter) 81, 37. — *gruslich* (horrendum, valde) 56, 24. — *mæszlich* (modeste) 16, 88 quæ, quamvis a principio adjectiva fuerint, adverbialiter tantum usurpata a Sebastiano *Brant* invenimus.

C. De adverbiis quæ a pronominibus inclinantur.

Adverbium *etwa* apud scriptorem nostrum constanter figuram *ettwan(n)* [33, 17. — 16, 79] exhibet, et secundum usum mediævalem modo *olim* modo *quondam* significat. Pro *desto*, quod adverbium e genitivo *des* et instrumentali casu *diu* constare notum est, *Brant dest* 48, 33 aut *dester* 28, 19 usurpat. Cum pronominali adverbio *war* sermoni mediævali usitato composita, notanda sunt adverbia : *war zuo* (ad quod) P., 49 et *war hyn* (quo) cujus inter utramque partem aliud vocabulum inseritur in cap. 43 v. 6 : *Er far joch dann war got hyn well* (se navigare tamen quo deo placeat). Adverbium *allenthalb*

denique significat apud scriptorem nostrum non *undique*, qui sensus temporibus nostris ei tribuitur, sed *semper* [14, 15. — 66, 147] secundum usum mediævalem.

D. De aliis adverbiis.

In adverbiis cum *dar* adverbio compositis, quæ plerumque locum indicant, servatur modo, modo tollitur vocalis *a*. Sublata nonnumquam *r* consona, inveniuntur pariter adverbia quæ cum *da* et quæ cum *dar* adverbiis composita esse videntur [1]: *dar ab* (ex eo, propter id) P., 6. — *dar affter* (huc, illuc) 110 b, 133; *draffter* 13, α. — *dar ann* (ad hoc) 59, 7; *dran* 4, 7. — *dar by* (prope hoc) 61, 5; *do by* 18, 85. — *dar mit* (cum eo, sic) 16, 89; *do mit* (qua de causa) 48, 30 et multa alia. Nonnumquam inter utramque partem vocabuli compositi interjiciuntur una aut plures voces: *Do er nit vil gewynnet an* (qua in re non multum lucratur) 48, 80. — *Do huet eyn yeder wis sich vor* (hanc rem caveat sapiens quisque) 51, 12. — Peculiare autem est et de usu mediævali sumptum quod præpositio sola interdum vices adverbii præstat e præpositione cum adverbio *dar* composita constantis: *wer guot hat und ergetzt sich mit* (qui bonum habet et eo gaudet) 17, α.

Præter hæc, nonnulla alia adverbia proferamus quæ locum aut tempus designant et formæ aut significationis causa notanda sunt: *har by* (in eo, ex eo) 56, 39. — *harjnn* (in hoc, hic) P., 66. — *do usszhin* (foribus) 33, 66; *dussen* (foribus) 108, 155 [2]. — *hie* (hic) 30, α. — *hie usz* (foris) 45, 14. — *vornan* (ante) 1, 1; *vornen* (ante) 39, 18. — *furter* (pone) 11, 16. — Adverbium *überusz* [75, 12], quod primum locum indicabat,

[1] Recentiorem quoque dialectum alsaticam similia exhibere, hæc testantur exempla quæ in *Pfingstmontag* invenimus: *derby* (prope) II, 6 v. 62. — *dernewe* (præterea), V, 2, v. 2. — *dernoh* (postea), III, 1 v. 36. — *dnoh* (postea) III, 1 v. 37. — *dervon* (illinc) II, 6 v. 89. — *derzue* (huc) II, 6 v. 76. — Adverbii *dernoh* forma adaucta *dernochert* exstat in act. IV sc. 5, v. 31.

[2] Adverbium *dussen* apud *Geiler* quoque occurrere testatur *Zarncke*.

apud *Brant* secundum usum mediævalem ad significationem *temere* transiit.

Adverbia cum *je* et *nie* composita occurrunt multa apud scriptorem nostrum quæ, ab usu recentiorum aliena, cum sermone mediævali congruunt, velut : *ye* (semper) P., 43. — *yemer* (semper, unquam) 14, 32. — 75, 24. — *yemerdar* (semper) 61, β. — *yemer tol* (semper) 60, 4. — *yenant* (unquam) 64, 45. — *yetzend* (nunc) 62, 20. — *nym* (jam non) 31, 21. — *nyemer* (numquam) 18, 4.

Nonnullas deinde præpositiones, quibus usus mediævalis adverbiorum vim tribuebat, Sebastianus *Brant* et ipse adverbialiter usurpat cum apud recentiores præpositiones tantum sint, velut *sydt* (ex eo tempore) 66, 53. — *vor* [1] (antea) 56, 28, pro quibus sermo recens adverbia *seither, vorher* adhibet.

Adverbium autem quod nunc dicitur *sonst* (præterea) apud scriptorem nostrum species diversas exhibet quas sermo mediævalis quoque ei tribuebat : *sust* (præterea) 31, 11. — *umb susz* (frustra) 13, 71.

Extremum est denique ut conjunctiones consideremus. Inter eas scilicet una figuras exhibet quæ commemorandæ videntur. Conjunctio enim *dennoch* (tamen) constanter apud *Brant* figuras *dennacht* 1, 17 aut *dannacht* 75, 38 præbet quæ pariter a mero sermone mediævali et ab usu urbano recentiorum alienæ sunt.

Quodsi nunc quæ ad compositas voces a Sebastiano *Brant* usurpatas pertinent breviter contrahere volumus, primum vocabula composita commemoravimus in quibus nulla exstat particula, quorum hæc a scriptoribus usurpantur qui merum exhibent usum medii ævi, illa autem dialecto alsaticæ potius videntur peculiaria. Notandum autem est præcipue voces quæ improprie compositæ dicuntur, id est, quarum in priore parte exstat genitivus substantivi cujusdam, apud scriptorem nostrum non compositorum exhibere speciem vocabulorum.

[1] Commemoremus quoque adverbium *entvor* (prius), 103, 43.

Notum est contra hæc plane composita in æqualium nostrorum sermone trita ac celebrata esse. Usum scribendi mediævalem secutus, *Brant* genitivum non pro parte priore vocabuli compositi, sed pro voce absoluta habuit et scripsit, exempli gratia, *summers zyt* (tempus æstivum) 80, 30. — *sunnen schyn* (lumen solis) 28, 2. — *narren schiff* (navis stultifera) 16, 8, etc.

Commemoremus deinde quam multis in compositis exstiterit particula *heit*, *keit*, quæ olim erat substantivum; inter composita hæc, nonnullorum vicem præstant tempore nostro substantiva derivata. Mysticorum scilicet scriptorum auctoritate composita hæc magis magisque frequentata sunt, postea autem paulatim recesserunt.

Vocabula denique consideremus quæ particulas exhibent, sive verba sunt sive substantiva. Multa enumeravimus quæ apud *Brant* occurrunt cum usu mediævali congruentia, cum nonnullis tamen dialectus alsatica præcipue favisse videatur; omnia autem omisimus sub quibus tempore adhuc nostro usurpatis eadem subjicitur sententia. Illud præterea notandum est, multas particulas quæ cum verbis cohæserunt a Sebastiano *Brant* in talem sententiam accipi qualem a veteribus iis tributam apud novos amiserunt. Particula *dar* exempli gratia, locum proprie significans, subjectum ad eam rem tendere declarabat quam substantivum designabat verbo conjunctum. Hanc autem vim cum habeat apud *Brant* in verbis compositis *darkumen* (venire ad), *dar laufen* (currere ad) etc., pura loci significatione temporibus nostris amissa, tropice plerumque dicitur. Simili modo locum declarat particula *ent* in vocabulis supra prolatis quæ apud æquales nostros aut obsoleverunt aut transferuntur. His exemplis necnon verbis qualia sunt *jn bellen* (latrare in), *vorhalten* (detinere) probatur particularum quæ cum verbis cohæserunt significationem jam non tantum esse extenuatam quantum apud æquales nostros extenuata est, et locutiones figuratas minus esse frequentatas quam temporibus nostris.

CAPUT VI

DE GENERE

Nonnullorum nominum genus paulatim mutatum est, ac sic quidem ut, cum olim nomini cuidam unum e tribus generibus proprium fuerit, sensim aliud genus ei tributum sit quod, ad tempus simul cum illo usitatum, sensim prævaluit et in illius locum successit. Cum substantivis compluribus sermo mediævalis non constanter idem genus tribuerit, nostra contra ætas genus nominum ordinare conata sit, mirum videri non potest Sebastianum *Brant* nominibus quibusdam genus obsoletum tribuere, temporibus illis aut solum aut cum alio simul usitatum. Cujus generis ætate nostra quodque vocabulum sit neminem fallit; quare satis erit si indicamus quod genus vel quæ genera sermo mediævalis cuique voci tribuerit. Substantivo *armbrust* (arcuballista), quod apud priores modo neutrius modo feminini generis erat, tribuit *Brant* genus neutrum in cap. 75, v. 16. Vocem *Bank* (subsellia), quam sermo mediævalis haud constanter nunc masculinam nunc femininam usurpabat, masculinam invenimus in cap. 92 v. 64[1]. Vocabula *gewalt* (vis, potestas) 13, 8. — *luft* (aër) 64, 71. — *lust* (desiderium) 31, 12. — *glust* (desiderium) 68, 27 — *ruwe* (pœnitentia) 110 b, 92 deinde, quibus usus mediævalis genus tribuebat aut masculinum aut femininum, apud *Brant* constanter masculini generis sunt. Compositæ voci *wollust* (voluptas) contra, quæ haud secus ac simplex *lust* priore ætate tum masculini

[1] Cf. *Pfingstmontag*, I, 6, v. 114 : *im schmale Bank* (in subselliis angustis).

generis erat tum feminini, *Brant* genus femininum in cap. 50 v. 1 tribuit. Temporibus nostris, substantivum *kohle* (carbo) in genus transiit femininum. Priorem contra usum secutus qui hoc nomen nunc masculinum nunc neutrum usurpabat, *Brant* dicit: *by grossem kol* (prope carbonem magnum) 18, 26. Transierunt item in genus femininum apud recentiores substantiva *sitte* (mos) et *schlange* (serpens) quorum utrumque secundum normam sermonis mediævalis masculinum est apud scriptorem nostrum, hoc in cap. 101 v. 31 :] *dem schlangen* (serpenti), illud in cap. 4 v. 6 : *der juedisch syt* (mos judaicus). Pariter priorem usum servavit *Brant* in substantivis *mosz* 2, 21 (pro *masz*, mensura) et *grebnisz* (sepulcrum) 85, 98 femininis usurpandis, cum apud recentes hæc nomina constanter neutrius generis sint. Simili deinde modo substantivum *teller* (catillus) neutrum fecit auctor noster in cap. 100, v. 28. Sed non semper tam fideliter normam sermonis mediævalis secutus est. Facit scilicet masculinum haud secus ac recentiores nomen *kot* (lutum) 76, 24 cui priores genus neutrum tribuebant et arbitrio suo masculinum esse vult vocabulum *ruoder* (remus) in cap. 108 v. 138. Item femininum erat olim et est temporibus adhuc nostris substantivum *wegscheid* (compita) quod *Brant* [21, 7] in genus masculinum transmisit[1].

[1] *Luther* quoque et *Fischart* huic substantivo genus masculinum tribuunt.

CAPUT VII

DE CONTENTIONE

Ad adjectiva, adverbia, pronomina aut participia quasi confirmanda, *Brant* adverbia quædam usurpat quæ aut nunc omnino obsoleverunt, aut saltem hunc in modum jam non usitata sunt. Ita adverbium *fast* apud eum non *fere* significat, sed indicat superlativum secundum usum priorem: *Ich byn fast alt* (natu pergrandis sum) 5, 2. Simili modo occurrunt usurpata adverbia *gantz* (omnino) et *vil* (multum): *man findt... gantz keinen* (invenitur omnino nullus) 10, 9-10. — *gantz nüt* (omnino nihil) 18, 10. — *Vil mancher* (permulti) Prot., 7. — *Myn rymen sint vil abgeschnitten* (versus mei permutilati sunt) Prot., 21. — Comparativus autem nonnumquam adverbio *mehr* vel *me* indicatur : *me hoch* (altior, insignior) 66, 146. — *me schmal* (angustior) 66, 44. — Plerumque tamen adjectivum comparativum in *er* exit. Vocalem *periphonicam*, cum usus recens vocali faveat puræ, invenimus in adjectivis vel adverbiis *stœltzer* (superbior) 82, 42. — *gesünder* (validior) 16, 89. — Usitatissimus est denique apud *Brant* comparativus *wæger* (melior, melius) 16, 75. — 54, 24 cujus positivus *wæge*, in sermone mediævali frequentissimus, apud eum non occurrit.

Superlativus plerumque exitum *st* exhibet, rarius *est*. Nonnulla tantum exempla citanda videntur quæ peculiare aliquid præbent : *den bœsten* (pessimum) 81, 23. — *die mynnst* (minima) 13, 2. — *der sterkest man* (vir validissimus) 8, 23.

— *Periphonia* caret superlativus in exemplo *bis an jungsten tag* (usque ad diem ultimi judicii) 43, 4. Postremo superlativus adverbialis *zuom mynst* (saltem) 75, 7 usui recentiorum repugnat, sed cum sermone mediævali congruit.

Nonnullorum adjectivorum et adverbiorum comparativus aut superlativus anomalus est : Præter adjectivum comparativum *besser* (melior, —us) 48, 69. — 97, α, occurrit quoque adverbium *bas* vel *basz* (melius) 6,31. — 19, 4. Cum adverbii *min* (minus) superlativum adamussim formatum *mynnst* inveniri supra notaverimus, comparativus formam exhibet quæ apud recentiores prævaluit : *mynder* (minus) 83, 59.

LIBER QUARTUS

DE SYNTAXI

Syntaxim dividimus in capita quatuor quorum in primo verbum in pronuntiatis simplicibus tractabimus; in secundo autem de nomine in eisdem agemus enuntiatis; deinde in tertio conjunctas agitabimus enuntiationes, sive copulatæ sunt sive oppositæ, sive causam indicant; in quarto denique verborum continuatio et enuntiationes tractabuntur quæ sunt aliæ ex aliis aptæ.

CAPUT I

DE VERBO

I

Quod ad genera verbi pertinet, pauca nobis apud *Brant* occurrerunt digna quæ notarentur. Etenim, quæ de Activi et Passivi usu animadvertimus, cum non ad totum genus activum aut passivum pertinerent, sed in hoc aut illud tempus, in hunc aut illum modum caderent, aptius infra disseremus. Annotatione dignum est tantum quod participium perfecti *verstanden* secundum usum medii ævi vim activi habet in cap. 73 v. 74 : *Verstanden lüten ist predigen guot* (homines prudentes cohortari facile est). Tum de refractivis quoque verbis non-

nulla sunt observanda. Verba enim quædam, quæ apud recentiores neutraliter tantum usurpantur, apud *Brant* reciproca sunt secundum usum mediævalem, qualia exstant in his exemplis : *also der gwalt sich enden duot* (sic vis finem habet) 56, 70. — *sich klagen* (queri) 59, 17. — *der lyd sich* (is utatur patientia) P., 135. — *Der... sich... schillt* (qui altercatur) 68, 4. — Verbum *brauchen* (uti), quod apud recentiores transitivum est, a Sebastiano *Brant* refringitur in cap. 36 v. 26 : *Wer eygens koppfs sich bruchen will* (qui suo ipsius capite uti vult[1]) E contrario verbum *fügen* neutraliter usurpatum invenimus, sicut per sermonem medii ævi licebat, in cap. 19 v. 6 : *Der fuogt in narren orden* (is pertinet ad ordinem stultorum). Item usum mediævalem secutus, *Brant* verbum *benügen* (contentus esse) neutraliter usurpavit in cap. 67 v. 73 : *Mit zymlich nyeman bnügen will* (modicis rebus nemo vult contentus esse)[2]. Cum autem verbum *wundern* (mirari) quoque neutrale usurpavit non reciprocum in cap. 49 v. 17 : *Dar um zuo wundern nyemans yl* (quare ne quisquam mirari properet), non normæ sermonis medii ævi scriptor noster paruit. Simili modo verbum *bedüren* (pœnitere), quod in sermone mediævali refringebatur et genitivum trahebat, transitivum est in cap. 96 v. 6 : *So jn syn schenck so fast bedürt* (Cum eum doni tantopere pœnitet).

II

Ad modorum usum transeuntes describendum, pro indicativo circuitiones quasdam nacti sumus nonnumquam usurpatas quas notare haud scimus an non abs re sit. In locis nonnullis scilicet invenimus participium præsentis cum verbo substan-

[1] Hic usus apud nonnullos ejusdem fere ætatis scriptores occurrit, velut *Fischart*, *Murner* et alios, nec sermoni mediævali erat insolens.

[2] Verbum *benügen* impersonale est contra in cap. 82 v. 61 : *keynem benuegt me mit sym stand* (Jam nemo conditione sua contentus est). Hic usus quoque in sermone medii ævi non rarus erat.

tivo conjunctum pro indicativo[1]: *So yetz usz farend ist die sel* (Cum exit anima) 106, 12. — *die stæts by eym wonent syndt* (qui semper apud aliquem habitant) 39, 32. Aliis in locis participium præsentis cum verbo *werden* conjunctum a præsente indicativi haud ita differre videtur. Legitur enim in cap. 22, v. v. 30-32: *Sie werdent wiszheit sehen an Und den lon der drumb ist bereit Und werend wurt jn ewikeit* (Sapientiam adspicient [*scilicet* stulti] et mercedem quæ propterea parata est et semper durat[2]).

Haud raro autem infinitivus cum verbo substantivo conjunctus pro indicativo usurpatur, quem circuitum exhibent inter alia exempla quæ sequuntur: *Der ist ouch warten fall* (hic quoque casum exspectat) 37, 3. — *All die uff erden leben syndt* (omnes qui in terris vivunt) 85, 12. — Infinitivus similiter cum verbo *werden* conjunctus vices indicativi præstat: *Noch dem man bruchen wart den pfluog* (Postquam aratrum usurpaverunt) 83, 40[3].

Pertritus autem est et pervulgatus apud *Brant* infinitivus cum indicativo verbi *thun* (facere) conjunctus et pro indicativo usurpatus[4]. In hoc circuitu verbum *thun* quasi auxiliaris cujusdam verbi vices agit. Usus illius exempla permulta occurrunt e quibus unum commemorare satis erit: *Mancher vil pfruonden bsitzen duot* (Multi multas præbendas possident) 30, 19.

Infinitivus præsentis similiter, cum verba auxiliaria *mögen*,

[1] Hic circuitus in sermone mediævali frequentissime occurrit. Cf. *Weinhold* in Gramm. mediæv. § 428. — *Paul* in Gramm mediæv. § 288.

[2] Hic usus apud multos alios scriptores temporis prioris exstat. Cf. *Weinhold* in Gramm. mediæv. § 429. — *Paul* in Gramm. mediæv. § 288 nota I.

[3] Utrumque usum et sermo mediævalis exhibebat et exhibent multi alii scriptores temporis illius, velut *Geiler*, *Hans Sachs*, *Fischart*. Cf *Paul* in Gramm. mediæv. § 298 Nota. — *Weinhold* contra, in Gramm. mediæv. §§ 428-29, putat exstare in ejusmodi exemplis participium præsentis quod, exitu ablato, fit infinitivo simile.

[4] Eumdem circuitum præbent multi alii scriptores, velut *Fischart*, *Hans Sachs*, quin etiam *Opitz*. In mero sermone mediævali contra, hæc circuitio raro occurrit Cf. *Paul* in Gramm. mediæv. § 298. Nota.

müssen et alia antecedunt, per participium perfecti cum verbo *haben* (habere) conjunctum circumscribitur : *Er mœcht die gantz welt han erschreckt* (totum orbem terrarum terrere vult) 56, 22. — *Ein narr muosz gesoffen han* (stultum potare necesse est) 16, 87 [1].

Deinde nonnumquam participium perfecti in locum infinitivi succedit, quem usum illustrat hoc exemplum : *vil wæger dir geschwyggen wer* (multo melius tibi esset tacere) 28, 22. Quin etiam fit ut in eodem enuntiato verbum participiale cum verbis infinitis permisceatur, velut in cap. 19 v. v. 85-86 : *Dar umb vil wæger ist geschwygen Dann schwætzen, reden oder schrygen* (Qua propter multo melius est tacere quam garrire, loqui aut clamare). Apparet præterea participium in priore versu propterea tantum usurpari, ut uterque similiter desinat.

Denique post verba *gehen* (ire), *sitzen* (sedere), *stehen* (stare), *Brant* plerumque infinitivum usurpat ad actionem verborum illorum describendam, cum participium præsentis aut perfecti rectius usurpatum fore videatur : *der gat hyncken, der gat bucken* (hic progreditur claudicans, ille curvus) 63, 73. — *eyn teil stont schwætzen uff der gassen, die andern sytzen spyelen* (hi stant garrientes in via, illi sedent alea ludentes) 95, 38. 39. Superest ut infinitivum alio verbo desideratum disputemus. Apud *Brant* enim verba nonnulla secundum usum mediævalem infinitivum sine præpositione *zu* recipiunt quæ apud recentiores hanc præpositionem desiderant [2]. Talia sunt :

Anfangen : *Nembroht zuom erst fing jagen an* (N. primus venari cœpit) 74, 27.

Aufhören : *hœren nit uff arbeitten doch* (Nec tamen laborare desistunt) 67, 80.

Begehren : *der allzyt bgert erfaren vil* (qui semper multa experiri cupit) 34, 3.

[1] Merus sermo mediævalis huic quoque usui indulgebat. Cf. *Paul* in Gramm. mediæv. § 299.

[2] Cf. *Paul* in Gramm. mediæv. § 298.

Dünken : *Aber es dunkt mich nit syn nott* (sed mihi necesse non videtur) 56, 35.

Hoffen : *wer hofft dem narrenschiff entgan* (qui e navi stultifera se evasurum esse sperat) 36, 29.

Meinen : *well die besten meynen syn* (qui optimi esse putant) 10, 33.

Unterstehen : *Die jnn abkeren understan* (qui eum avertere conantur) 105, γ. — Sed : *er zu wœren understat* (prohibere conatur) 105, 3.

Wissen : *gott weisz all ding basz ordinieren* (deus omnia melius ordinare scit) 28, 27.

Wünschen : *du wünschescht von got scheyden dich* (a deo dividi te cupis) 43, 27.

Postremo accusativum cum infinitivo conjunctum in mero sermone mediævali sæpius quam apud recentiores occurrere omnibus notum est[1]. Apud Sebastianum *Brant* quoque, exempla nonnulla exstant quæ cum usu recentiore non congruunt, velut : *Nit meyn uns narren syn alleyn* (Ne putaveris nos solos esse dementes) 108, 1. — *Der zeigt sich selbs eyn narren syn* (is ostendit ipse se esse stultum) 19, 8.

III

Proximum est ut tempora consideremus quid habeant peculiare apud scriptorem nostrum.

Ad præteritum verborum agentium aut neutrorum formandum, modo auxiliare *sein*, modo *haben* exstat. Cum in utro usurpando recentiores a sermone mediævali multimodis discrepent, non mirum est usum Sebastiani *Brant* magis cum lingua medii ævi quam cum recentiore congruere, velut in cap. 5 v. 34 : *Swœr ist recht thuon, ders nit hat gewont* (Difficile est recte facere ei qui non solet).

[1] Cf. *Paul* in Gramm. mediæv. § 300.

Præteritum passivi autem participium perfecti cum verbo *sein* conjunctum exhibet, secundum normam usus mediævalis, pro verbo *werden* quod recentioribus temporibus prævaluit: *Vil synt durch gwalt geschlagen dott* (multi potestatis causa occisi sunt) 37, 14. Sed sæpissime tamen participium *worden* adjungitur ad præteritum passivi formandum, velut in cap. 78 v. 2: *das ich schier wer versessen worden* (ut pæne neglectus essem).

Deinde participium verborum *müssen, sollen, dürfen* et aliorum, cum infinitivo verbi cujuscumque conjunctum, exitum *en*, sublato præverbio *ge*, exhibet: *Jeder rym hat sich muessen schmucken* (versum quemque obsequi oportuit) Prot., 23. — Verbi *lassen* participium contra, præverbium *ge* præbet in Prot. v. 32: *das ich nit hab gelon uszgon* (quod non exire sivi — *id est* quod non edidi).

IV

Numeri autem et personæ nonnulla exhibent digna quæ proferantur.

Substantivum scilicet collectivum singulare modo verbum singulare modo plurativum recipit[1]: *Ein teil kein fuor hant* (hi nullam rhedam habent) P., 20. — *Eyn teyl... gingen* (illi ibant) P., 96. — *Des rott ouch ysszt zuo rechter zyt Und suochen nit wollust und gydt* (cujus turma etiam tempore edit neque quærunt voluptatem aut avaritiam) 46, 19-20. Simili modo fit ut pronomen plurale ad nomen collectivum singulare referatur[2]: *Do hunger in Egypten was Nomen sie korn uff* (Cum fames in Aegypto erat, frumentum acceperunt [*scilicet* Aegyptii]) 25, 29-30. — *Priesterschafft den narung gbrist*

[1] Cf. *Paul* in Gramm. mediæv. § 230.
[2] Cf. *Paul* in Gramm. mediæv. §§ 232-238.

(Sacerdotium — *id est* sacerdotes — qui cibo egent) 79, 50. Tum duæ partes subjectivæ per *und* conjunctionem conjunctæ nonnumquam verbum trahunt singulare[1]: *Cyclops und pann nit leydtlich pfiff* (Cyclops et Pan non flebiliter sibilaret) 13, 56.

Deinde secundæ personæ imperativi nonnumquam pronomen *du* adjungitur: *verlosz dich druff und bach du nytt* (huic rei confide neve panem coque) 57, 16. Indicativus contra haud raro pronomine caret: *Byn nit die mynnst* (non sum minima) 13, 2. — *versündest dich gar schwær* (gravissime peccas) 28,21.

Verborum impersonalium pars subjectiva nonnumquam substantivum est aut pronomen personale, non pronomen impersonale *es: losz wittern jn, losz machen schön* (eum — *scil.* Deum — sine tempestatem excitare, sine sudum facere) 28, 17.

Pro verbo impersonali *es gibt* denique, quod postea demum in usum venit, Sebastianus *Brant* usurpat constanter verbum *sein* cum pronomine impersonali *es* conjunctum, quod pronomen haud raro subauditur: *Und ist doch vil das jm gebrist* (Et multa sunt tamen quæ ei desunt) 42, 22. — *Es wer keyn wollust noch dem todt* (Nullam esse post mortem voluptatem) 50, 23.

V

Conferamus igitur in pauca quod ad verbum in enuntiatis simplicibus usurpatum pertinet. Notabile scilicet visum est præsertim quam congruat sermo Sebastiani *Brant* cum norma linguæ mediævalis. Dialecto multo minus favisse scriptor videtur quam in vocalibus et consonis usurpandis, in flexione constituenda aut in informandis vocabulis; immo dialectus ipsa, quod ad syntaxim attinebat, multo minus a sermone medii ævi distabat quam quod ad alias grammaticæ partes spectabat. Quid mirum, quoniam lingua quæque syntaxim

[1] In mero sermone mediævali hoc non raro occurrere testatur *Paul* in Gramm. mediæv. § 233.

per totum temporis spatium minimas pati commutationes voluit?

Commemoremus nunc primum quam frequenter *Brant* præsens indicativi circuitibus enuntiet qui in mero quoque usu medii ævi sæpissime occurrunt. Deinde infinitivum referamus sine præpositione verbis multis conjunctum, cum usus recens præpositionem *zu* desideret. Inde fit ut apud *Brant*, velut in sermone medii ævi, consecutio verborum minus adstricta sit : pariter numerorum usus parum compositus est, quoniam verbum plurale subjecto singulari comprehensivo jungitur, aut verbum singulare trahunt duæ partes subjectivæ quas præpositio *et* inter se jungit. Non nostrum est dijudicare desiderandæne sint ejusmodi licentiæ; compertum habere volumus solum hic quoque Sebastiani *Brant* sermonem cum norma mediævali congruere.

Denique vetus perfectum passivi, quod secundum usum medii ævi non participio *worden* quasi onerabatur, a scriptore nostro nonnumquam servari notavimus. Quam multa communia habeat cum sermone mediævali usus Sebastiani *Brant*, qualis in hoc capite apparet, his satis probatur.

CAPUT II

DE NOMINE IN ENUNTIATIS SIMPLICIBUS USURPATO

I

De pronominum usu nonnulla nobis præmittere licebit.

Ad amussim sermonis mediævalis, *Brant* pronomen a substantivo quodam pendens cui genus tribuitur dispar generi a natura constituto nonnumquam genus naturale substantivi recipere vult, non vulgare [1]. *Wollust der welt die glychet sich Eym üppigen wib die offentlich Sitzt uff der strasz* (Voluptas mundi similis est luxurioso *scorto quæ* publice sedet in via) 50, 1-3.

Pronomen personale neutrius generis *es* a Sebastiano *Brant* frequenter per præsumptionem usurpatur ad partem subjectivam prænuntiandam, qui usus usque ad tempora nostra valet et grassatur: *Es ist nyd eyn so tœtlich wundt* (Invidia tam mortale vulnus est) 53, 7. Multo autem rarius pronomen personale per præsumptionem usurpatum idem genus recipit quod substantivum cujus vices præstat: *Er fellt und blibt nit jn der hœh Der stein* (cadit nec in excelso manet lapis) 56, 51-52.

Quodsi neuter usuum dicendi horum mirus nobis videtur, quoniam ætate quoque nostra valent, notabile contra est quod sæpe pronomen personale in vices pronominis relativi

[1] Sermonem quoque mediævalem huic usui indulsisse *Paul* in Gramm. mediæv. § 229 probat.

aut demonstrativi succedit. Pro relativo usurpatum redundat pronomen personale in exemplo quod sequitur: *Der ist eyn narr der vil bgært Und er nüt duot der eren wert* (Is est stultus qui multa petit, neque *is* quidquam facit quod sit honoris dignum) 59, 1-2. Demonstrativi autem locum tenet non raro pronomen personale[1]. Est enim sic in cap. 59 v. v. 5-6: *Wer von eyner sach will haben gwynn Billich setzt er jnn synen synn...* (Qui rei cujusdam præmium habere vult, Jure is in animum inducit...) Aliis in locis deinde redundat pronomen personale, quoniam substantivi jam expressi vicem explet, quasi hoc non exstaret: *Jugurtha do er schyed von Rom, Do sprach er* (Jugurtha, cum Roma proficisceretur, dixit *is*) 46, 52-53.

Secundum normam usus mediævalis autem pronomen possessivum, nonnumquam substantivo postpositum ad quod refertur, omni exitu caret: *der selen myn* (animæ meæ), 84, 24. — *Joseph mit den bruedern syn* (Joseph cum fratribus suis) 53, 20.

Pro genitivo substantivi aut pronominis, possessionem quidem significante, Sebastianus *Brant*, usum secutus qui in tota Germania superiore grassatur[2], haud raro dativum cum pronomine possessivo conjunctum usurpat. Sic enim occurrit in cap. 25 v. v. 5-6: *Als duont ouch die den jr bosheyt Gott lang uff besserung vertreit* (Sic faciunt ii quoque quibus suam — *id est* quorum — malitiam Deus diu tolerat ut emendentur) — *Herodias jr dochter hyez Das...* (Herodiæ filia imperavit ut...) 64, 15-16.

Quam finitima autem sint pronomen demonstrativum et articulus definitus scriptor noster et ipse illustrat. In sententiis scilicet velut: *der gouch der blibt jm nest* (cucullus in nido remanet) 84, 7. — *dem sack dem ist der boden usz*

1 Similia ex usu mediævali sumpta profert exempla *Paul* in Gramm. mediæv. § 218.

2 Cf. *Grimm* in Gramm. germ. vol. IV, p. 351, et *Pfingstmontag*, V, 3, v 21: *d'Frau isch imm Mann syn kron* (uxor est corona viri).

(sacco fundus pertusus est) 63, 10, dubitari potest utrum articulus iteretur annon. Cum autem substantivum articulo carens aut pronomen aliquid vocabulo *der*, *die*, *das* quasi confirmantur, hoc pro pronomine demonstrativo haberi oportet, velut in : *Vil seck die sint des esels dot* (Multi sacci *hi* sunt asini mors) 30, γ. — *Mancher der wurd vil schnatten han* (Multi *hi* multas cicatrices haberent) 33, 30. — *Ein yeder der will vorman sein* (Unusquisque *hic* vult princeps esse) P. 23.

Articulus deinde nonnumquam subauditur apud scriptorem nostrum : *wann man eyn spœtter würfft für thuer*[1] (cum derisor foras extruditur) 42, 23. — *Schwœtzer ist nüt zu reden vil* (Garrulatori nihil nimium est ad dicendum) 19, 49, quæ sententia, articulo sublato, fere intellectu caret.

Simili modo nominibus quæ montes aut flumina significant nonnumquam articulus detrahitur, cum contra ad substantiva quæ urbem indicant adjungatur, velut in his exemplis : *das er uff Ethna sprang jnn flam* (eum in Ethnam montem ascendisse et in flammam insiluisse) 45, 16. — *das Carthago* 97, 23. Substantivum genitivo qui ei conjungitur postpositum ada mussim articulo caret. *Brant* autem nonnumquam licenter articulum usurpat : *Tragkeit... Macht murmelen Israhel die kynd* (Segnities fecit ut Israhelis liberi mussitarent) 97, 20.

Cum autem complura substantiva, genere aut numero dissimilia, per *und* conjunctionem junguntur, fit haud raro ut articulus primum tantum comitetur, alia contra eo careant : *jn dem pfütz und mosz* (In palude et sordibus). — *der synn und wiszheit blosz* (Sensibus et sapientia inops) 21, α-γ.

Pronominis *all* usus denique apud Sebastianum *Brant*, secundum normam sermonis mediævalis, latius patet quam temporibus nostris, cum illud non raro in sententiis usurpatum inveniatur quæ ad amussim recentiorum pronomina *ganz*

[1] Similia exempla exstant apud *Paul* in Gramm. mediæv. § 233, 1.

(totus) aut *jeder* (quisque) desiderant: *Alexander All welt bezwangk* (A. totum orbem terrarum domuit) 56, 66. — *jn allem land* (in quaque regione) 46, 65. — *Allen tag* (quotidie) 90, 6.

II

Ad flexum nominum transeamus nunc considerandum. Cum autem pleraque quæ ad flexum substantivorum, adjectivorum et pronominum attinent supra tractaverimus, superest tantum ut eas flexus mutationes consideremus, quibus syntaxis locum fecit.

Ac primum quidem adjectivum, substantivo nonnumquam postpositum, secundum normam usus mediævalis constanter exitu caret: *Der muos han ottem warm und kalt* (eum opus est habere spiritum calidum et frigidum — *id est* improbare quæ semper laudaverit) 18, 18. — *mit den dornen scharff* (spinis acutis) 36, 1. — Deinde cum duo adjectiva, præcipue quæ vim substantivi habent, per *et* conjunctionem inter se junguntur, fit non raro ut prius exitu careat, alterum terminationem exhibeat solum, velut in his exemplis: *hæfen... do man jn bœsz und guotes tueg* (vasa in quibus mala et bona collocantur) 57, 38. — *wenn... man von wis und hübschen seyt* (Cum sapientes et lepidi commemorantur) 60, 8 [1].

Vidimus denique supra, cum duo substantiva per conjunctionem *und* copulantur, non ita raro prius solum cum articulo conjungi, alterum contra eo carere. Quodsi utrique adjectivum adjungitur, fieri potest ut prius adjectivum declinationem sequatur *debilem*, posterius vero *validam*: *Die best gezierd und hœhster nam Das sind guot sitten* (Boni mores sunt optimum decus et supremum nomen) 9, 25-26.

[1] Similia exempla, quæ apud scriptores exstant qui merum exhibent usum mediævalem, *Grimm* in Gramm. germ. vol. IV, p. 488 commemorat.

III

Quos nominum casus trahant apud scriptorem nostrum verba, adjectiva, pronomina, numeralia, sequitur ut examinemus.

A. *De Casibus verbo junctis.*

1° De Nominativo. — Nominativus apud *Brant* verbis passivis jungitur quæ statum mutatum significant, cum recentiores pro nominativo *zu* præpositionem cum dativo conjunctam usurpent: *Echo nit wer ein stym gemacht* (Echo non vox facta esset) 13, 62. Similiter, ad amussim usus mediævalis, *Brant* substantivo *schad* (damnum) attributive usurpatum vim quasi adjectivi tribuit, velut in hoc loco: *Der ist ein narr der wünschen duot Das jm als bald schad ist als guot* (Ille est demens, qui id optat Quod ei tam cito damnosum est quam bonum) 26, 1-2[1].

2° De Accusativo. — Accusativum recipiunt apud scriptorem nostrum verba quædam quæ temporibus nostris aut significationem mutaverunt, aut alium casum admittunt. Verba *thun* (facere, agere) et *kœnnen* (posse) exempli gratia adamussim usus mediævalis accusativo conjuncta multis in enuntiatis occurrunt quæ secundum normam sermonis recentioris aliter significari debent: *Duont doch nit arbeit als man sol* (tamen laborem non faciunt — *id est* laborant — sicut debent) 48, 18. — *David dett eebruch und dottschlag* (D. adulterium et homicidium fecit — *id est* commisit) 97, 21. — *Wer jnn der gdat guot ansleg kann* (qui in agendo bona consilia [capere] potest) 12, 7. — Verba *besorgen* (cavere), *erben* (heres esse) temporibus nostris accusativum nominis tantum

[1] Nonnulla ejusmodi exempla quæ hunc usum illustrant *Zarncke* ad locum citatum profert. Cf. quoque *Paul* in Gramm. mediæv. § 215.

recipiunt quod rem designet, non quod personam. Sebastianus *Brant*, sermonem medii ævi imitatus, accusativum nominis quoque eis jungit quod personas significat: *Muosz er besorgen doch syn gsynd* (Familiam suam eum cavere tamen opus est) 56, 60. — *Eyn dyenst magt die jr frowen erbt* (Ancilla quæ a domina hereditatem capit) 64, 62[1]. Tum verbum *helfen* (adjuvare, prodesse), cum ætate nostra plerumque dativum nominis personæ quæ adjuvatur admittat, apud *Brant* constanter accusativum recipit, velut per normam mediævalem licebat: *Was hilfft mich geltt?* (Quid mihi prodest pecunia?) 92, 13.

Non autem ita raro fit ut verbum aliquod duos accusativos recipiat, quorum alter verbo trahitur, alter attributum est. Cum recentiores huic plerumque præpositionem aut adverbium velut *für*, *als* præponant, attributum apud *Brant*, nullo alio vocabulo interposito, jungitur verbo: *die jugent acht all kunst gar kleyn* (juvenes omnem artem perparvam æstimant) 27, 7. Duplicem quoque accusativum trahit apud auctorem nostrum verbum *zihen* (accusare) quod in sermone mediævali accusativum quidem personæ quæ accusatur, genitivum autem criminis quod intenditur recipiebat: *Was zychstu mich* (Quod crimen in me intendis?) 23, 31. — Simili modo multa alia verba pro genitivo, quem usus mediævalis iis tribuebat, apud *Brant* accusativum præsertim pronominum trahunt, velut: *verjehen* (confiteri): [*ich*] *vergych es gott* (deo id confiteor) 111, 71. — *truwen* (fidem habere): *Wasz man eim alten truwen sol* (quam fidem seni habere debemus) 5, 32.

Postremo verba nonnulla, secundum usum mediævalem, modo accusativum recipiunt, modo genitivum: *Sin duschen der genüsset nitt wer...* (permutatione is non fruitur qui...) 89, 31-32. — Contra: *Derselb syns tuschens gnuesset nytt* (is mutatione haud fruitur) 89, β. — *Man darff kein zugnisz*

[1] Verbum *besorgen*, accusativo nominis quod personam significat conjunctus, in mero sermone mediævali raro occurrit; verbum *erben* contra frequentissime. Cf. quoque *Pfingstmontag*, V, 5, v. 70. *dasz i ne haa müen erwe* (quod ab eo hereditatem me capere oportuit).

(testimonii non opus est) 11, 16. — Sed : *Sie dœrffen stroffens nit* (eos puniri non opus est) 6, 8. — *Wer... nit gedenkt syn nutz und schad* (Qui non respicit quid utile sit sibi, quid funestum) 24, α-β. — Contra : *der guotten frowen... gedencken* (feminas bonas commemorare) 64, 4.

3° De Genitivo. — Permulta verba quæ affectum exprimunt, apud *Brant*, qui usui priori paruit, recipiunt genitivum, cum temporibus nostris plerumque accusativum aut præpositionem admittant : *Des priesterschaft doch wenig acht* (Hoc sacerdotes tamen parvi æstimant) 16, 34. — *Wenig dochtent myn* (Pauci meminerant mei) P., 93. — *Der hæchlen er entpfyndt* (ferreos hamos sentit), 71, α. — *Der sich darnach syns unglücks frœwt* (Qui postea calamitate sua gaudet) 10, 4. — *Der studentten ich ouch nit für* (Studiosos quoque non negligo) 27, 1. — *Wer lachet des eyn ander weynt* (Qui deridet quod alius luget) 68, 15. — *Der bœsz vyndt nymbt der tragkeyt war* (Diabolus segnitiem animadvertit) 97, 17. — *Sannabalach syn spottes ruwt* (S. irrisus pœnituit) 42, 29. — *Unser selbes wir nit vergessen* (Nostrummet ipsorum non obliviscimur) 81, 49. — *Des ist zuo wundern nit* (hoc mirandum non est) 6, 47.

Genitivum recipiunt quoque verba *hüten* (custodire) : *wer synr frowen huetten duot* (qui uxorem suam custodit) 32, 2. — *pflegen* (uti) : *Wenn sie grosser wiszheyt pflegen* (Si magna utuntur sapientia) 46, 7. — *ruochen* (curare) : *Der correctur etlich wenig ruochen* (Emendationem multi parum curant) 103, 82. — *schonen* (parcere) : *Hett David nit syn selbst geschont* (Nisi D. sibi ipsi pepercisset) 42, 27 [1]. — *[ge]schwigen* (tacere) : *des wibs will ich geschwigen* (de muliere tacere volo) 64, 85 [2]. — *sorgen* (curare) : *Des libs wir sorgen* (corpus

[1] Verbum *schonen* apud auctorem nostrum nonnumquam dativum trahit, velut in cap. 85, v. 86 : *der nye keym ye hat gschont* (qui numquam ulli pepercit).

[2] Verbum simplex *schwigen* enormiter cum accusativo conjunctum occurrit in cap. 104 v. 4 : *das er die worheyt schwigen söll* (ut veritatem reticeat).

curamus) 85, 146. — *verstehen* (intelligere): *Die doch des rechten nit verston* (Qui tamen quid rectum sit non intelligunt) 2, 3. — *warten* (exspectare): *Gott der herr Ir warttet* (Deus dominus eos exspectat) 25, 9.

Nonnullis aliis verbis junctus genitivus causam indicat: *Mynr boszheit wil ich syn geert* (malitiæ meæ causa in honore haberi volo) 5, 10. — *Nabal wer syns gspœts gelont* (Nabali irrisus sui pretium tributum esset) 42, 28. — *bættlen des verdürbt man nit* (mendicatione non peritur) 63, 84.

Privantibus deinde verbis genitivus persæpe jungitur. Cum hunc usum sermo recens quoque servaverit, ejusmodi tantum exempla commemorabimus quæ normæ recentiorum repugnant, velut: *glych eym rosz dem oren gbryst* (Similis equo cui aures desunt) 32, 22. — *yeder starb am selben we Des er meynt helffen yedermann* (Unusquisque eodem malo periit contra quod se auxiliaturum omnibus putabat) 21, 22-23. — *Abraham vorcht synr frowen* (A. uxorem suam vitavit) 33, 85. — *Der fliegen weren* (a muscis prohibere) 1, 8. — Inter privantia sunt notanda præcipue verba quæ, cum præpositione *on* (sine) composita, genitivum trahunt, licet hæc præpositio accusativum recipiat: *Sie macht den brunnen wassers on* (fontem exhaurit) 59, 23. — *Alls übels Armuot ist wol on* (Omni malo certe paupertas caret) 83, 70.

Apud *Brant* autem genitivus haud raro dividuus est[1], velut in hoc exemplo: *Wer hofft dem narren schiff entgan Der muosz des wachs jnn oren han* (Qui stultiferæ navi se elapsurum sperat, eum opus est ceram in auribus habere) 36, 29-30. — Simili modo, secundum normam sermonis mediævelis, auctor noster non raro verbum *werden* (fieri) cum genitivo conjungit: *der wardt des schlegels* (Is malleo subditus est) 23, 4.

Refractiva quoque verba genitivum recipiunt, ac ea quidem præcipue quæ affectum indicant. Cum pleraque, velut *sich*

[1] Sermonem mediævalem huic usui indulsisse testatur *Paul* in Gramm. mediæv. § 262.

schæmen (pudere), *sich ruemen* (gloriari) et alia apud recentiores genitivum trahant, iis hunc casum a scriptore quoque nostro jungi exemplis probare haud necesse erit. Talia tantum commemorabimus quæ obsoleverunt: *der suon des vatters haltet sich* (filius patris similis est) 49, 15. — *got des menschen sich verruocht* (deus hominem negligit) 23, 7. — *Was überhebst dich dins gewalt* (cur potestate tua gloriaris) 54, 20. Alia autem refractiva genitivum admittunt, quorum hæc *audere* vel *incipere* significant, illa privativa sunt, alia in diversas sententias accipiuntur. Talia exstant in his exemplis: *Das man der welt sich so abschütt* (ut mundo sic abstineamus) 105, 48. — *Doch sollen sie sich des vermessen Das...* (tamen hoc audere debent) 80, 25-26. — *Ich... hett des schyffes mich versumbt* (navim prætermisissem) 78, 3. — *Procris der hecken sich verwæg* (P. sepibus abstineret) 13, 52. — *des benuegen sich Was...* (Eo contentus esse quod...) 83, 37[1]. — *Bættlens er sich nert* (mendicando alitur) 70, 28.

4° De Dativo. — Primum dativus commodi et incommodi, adamussim usus mediævalis, multo sæpius a Sebastiano *Brant* usurpatur quam per normam sermonis recentis licet. Tale est hoc exemplum: *Und du dir hettest gern das myn* (Et mea libenter tibi haberes) 53, 5. Desiderant præterea dativum apud *Brant* nonnulla verba quæ temporibus nostris obsoleverunt: *Dem wisen liebt eynfaltikeyt* (Sapienti placet simplicitas) 18, 30. — *Dar umb das jm gott ettwann spart* (quod deus ei aliquando pepercit) 86, 16.

[1] Verbum *sich benuegen* quidem nonnumquam præpositionem *mit* (cum) admittit, qui usus temporibus nostris prævaluit: *Liesz doch zuoletst benuegen sich Mit sibenschuohigem erterich* (Postremo tamen contentus est terra septem pedes longa), 24, 11-12.

B. De Casibus adjectivo, pronomini, numerali junctis.

Occurrerunt nobis genitivus, dativus et accusativus, ac illi quidem casus frequenter, hic raro adjectivis conjunctus.

1° Genitivum cum adjectivis junctum exhibent hæc exempla: *Der ist der synn und wiszheit blosz* (Is sensibus et sapientia caret) 21, γ. — *Der truckery sint wir dann fro* (typographia tum contenti sumus) 27, 30.

Sermoni mediævali proprium erat quod pronomen *was* (quid) usurpabat genitivo substantivi junctum, quem usum apud recentiores obsoletum *Brant* servavit, velut in his exemplis: *was glücks* (quæ fortuna) 10, 30. — *was gwaltes* (quæ potestas) 13, 8. Numeralia quoque indefinita *vil* (multum), *mehr* (magis) Sebastianus *Brant* genitivo jungit, auctoritatem sermonis mediævalis secutus: *vil wins* (multum vini) 16, 6. 56. — *so vil der schuolen* (tam multas scholas) 103, 106. — *me gelts* (plus pecuniæ) 63, 94. — Dividuum deinde genitivum trahit pronomen *kein* (nullus) in cap. 10 v. v. 9-10: *Man find der fründ als David was Gantz keinen me mit Jonathas* (amici quales David et Jonathas erant jam omnino non inveniuntur).

2° Dativus commodi adjectivo junctus occurrit in hoc exemplo: *er sy... allen dingen witzig gnuog* (se omnibus rebus satis prudentem esse) 36, 3-4.

3° Postremo accusativum exhibent sola pronomina indefinita *üt* (aliquid) et *nüt* (nihil) adjectivis juncta: *dem er sy pflychtig üt* (cui aliquid debeat) 57, 29. — *Dann er ist uns gantz schuldig nüt* (nam ille — *scil.* deus — nobis omnino nihil debet) 57, 30.

IV

Cum præpositiones, sicut casuum exitus, nomina inter se et aliis enuntiati partibus connectant, sequitur ut earum usum et significationem apud auctorem nostrum consideremus. Longum est autem omnia quæ ad præpositiones pertinent tractare et exemplis probare : quare ejusmodi tantum exempla proferemus quæ proprium aliquid præbeant, sive præpositiones, tempore interposito, significationem mutaverunt, sive apud recentiores non eumdem casum recipiunt cui auctor noster eas jungit, sive omnino obsoleverunt.

1° Præpositionis *ab*, fere omnino a recentioribus repudiatæ, in vicem successit apud æquales nostros plerumque præpositio *von*. Cum vocabulum illud nunc prope semper adverbialiter usurpetur, servavit apud *Brant* vim præpositionis quam priores ei tribuebant : *Das best wir ab dem hafen essen* (optima ad edendum e vase eximimus) 81, 50.

2° *An* præpositionis usus nonnulla exhibet digna quæ notentur. Verbi *benuegen*, quod modo genitivo, modo præpositioni *mit* jungi supra vidimus, participium *benuegt* præpositioni *an* conjunctum occurrit in cap. 87 v. 3 : *nit benuegt an aller sünd* (non multimodis peccatis contenti). Adjectivo deinde jungitur præpositio *an* in hoc exemplo : *Worlich er ist an wyttzen schlæcht* (Certe insanus est) 90, 10. — Sermoni recenti repugnat quoque, congruit contra cum lingua mediævali usus præpositionis *an* in dictione : *an gerycht* (in foro) 46, 37.

3° *Auf* (*uf*) præpositio, cum substantivis juncta, secundum normam mediævalem apud *Brant* nonnumquam finem indicat ad quem tenditur, quam significationem temporibus nostris servavit tantum conjunctio composita *auf dasz* (ut) : *Als duont auch die den jr boszheit Gott lang uff besserung vertreit* (Sic agunt ii quoque quorum malitiam Deus diu tolerat ut meliores fiant) 25, 5-6.

4° *Aus* (*usz*) præpositio, verbis aut adjectivis juncta, ad amussim usus mediævalis interdum causam significat: *die usz dem eebruch ruemen sich* (qui adulterio gloriantur) 33, 28. — *usz der flæschen freüdig* (lagenæ opere audax) 87, 16.

5° *Durch* servavit plerumque apud *Brant* vim præpositionis *causa*: *wer spielt alleyn durch grossen gwynn* (qui magni tantum lucri causa alea ludit) 77, 83.

6° *Für*, secundum usum medii ævi, in dictionibus occurrit in quibus usus recentior *vor* præpositionem desiderat: *Der gang zuon wysen für die thuer* (is foras ad sapientes eat) P., 134.

7° Præpositionem *gegen* sermo mediævalis dativo jungebat, quem usum a recentioribus repudiatum *Brant* servavit: *Ir vil sich gen dem hagel neygen* (eorum multi grandini cedunt) 93, 29[1].

8° *In* præpositionem cum accusativo conjunctam recipiunt nonnulla adjectiva a verbis derivata quæ motum significant: *unser gmuet ist licht Und wankelbar in alle schand* (animus noster levis est et in omne dedecus mobilis) 4, 22-23. Deinde cum norma sermonis mediævalis congruit usus præpositionis *in* in dictione *in falscheit* (dolose) 12, 17. Sed non usum medii ævi secutus *Brant* dictionem: *jn warnung* (ad monendum) 12, 24 usurpavit.

9° Præpositio *von*, secundum usum linguæ mediævalis, latius apud auctorem nostrum patuisse videtur quam apud recentiores, et sensum habuisse validiorem quem ætate nostra præpositiones *durch*, *wegen* exprimunt, velut in his exemplis: *Sennacherib von syn suenen starb* (S. a filiis suis occisus est) 90, 23. — *Er wer nit von eym kleynen bisz Gestossen usz dem Paradisz* (non buccellæ causa [Adam] e Paradiso expulsus esset) 12, 13-14.

10° Præter præpositionem *um willen* (gratia), permansit apud *Brant* figura *durch willen*, quæ forma sermoni mediæ-

[1] Cf. *Pfingstmontag*, II, 6, v. 58: *geje mier* (præ me).

vali acceptissima ætate nostra obsolevit: *durch guots willen* (divitiarum gratia) 52, β.

Absolute denique usurpantur modo genitivus modo accusativus. Genitivi absolute usurpati exempla supra commemoravimus ubi adverbia tractavimus. Quare accusativum animadvertemus solum: substantivum nunc solum invenitur, nunc adjectivo aut pronomini conjunctum: *nacht und tag* (noctu diuque) 22, 8. — *tag noch nacht* (neque die neque nocte) 53, 11. — *myn alten tag* (annis ingravantibus) 5, 16. — *eyn woch* (intra hebdomadem) 95, 41.

V

Ut verbum, sic nomen in enuntiato simplici usurpatum apud scriptorem hunc permulta communia habet cum sermonis mediævalis norma: vocabula inter se magis connexa non particulis quodammodo devinci opus est, velut in sermone recentiorum; deinde norma loquendi scriptorem non tam stricte tenebat quam temporibus nostris. Pronominum usus sic nobis multa exhibuit quæ, cum norma mediævali congruentia, anomala nobis videntur. Pariter præpositiones pleræque aut significatione aut usu cum lingua recentiorum discrepabant, discordabant autem nullo modo a sermone medii ævi. Deinde cum casuum exitus satis dilucide significent quomodo sint voces inter se conjunctæ, non usurpari oportet aptota quibus recentiores earum convenientiam indicant. Attributum scilicet, sive ad subjectum verbi refertur, sive ad id substantivum quod verbo desideratur, non præpositione aut adverbio induci opus est, qualia sunt *zu* aut *als*, sed nominativum aut accusativum exhibet solum. Genitivum deinde trahunt apud *Brant* verba permulta quæ temporibus nostris præpositiones recipiunt quibus cum substantivis junguntur; quamquam ætate scriptoris hujus quid significaret hæc consecutio verborum

certe jam non dilucide apparebat : nam nonnulla notavimus verba quæ pro genitivo pronomen accusativum neutrius generis *es* recipiunt, quo multo minus clare demonstratur quam genitivo quæ sit verbi cum substantivo congruentia.

Denique, cum norma loquendi minus stricta sit, scriptori multa ad arbitrium suum facere licet, velut nonnulla verba modo hunc modo illum recipere casum possunt; quin occurrit nobis verbum *benuegen* quod cum triplici figura dicitur.

CAPUT III

DE ENUNTIATIONIBUS CONJUNCTIS

Enuntiationes conjunctæ aut copulatæ sunt, aut oppositæ, aut causativæ. Ac primum quidem copulata animadvertamus pronuntiata. Conjunctio *als* apud scriptorem nostrum vim conjunctionis latinæ *pariter ac* servavit, quem ad sensum significandum recentiores conjunctionem *sowie* usurpant : *Joseph würd nit verklagt umb susz Als Bellerophon Hyppolitus* (Joseph non injuste accusatus fuisset, pariter ac Bellerophon, Hippolytus) 13, 71-72.

Negationem autem disjunctivam exprimunt sæpe apud *Brant* conjunctiones *weder... noch,* quæ usque ad tempora nostra usu confirmatæ sunt : *Der weder tag noch nacht hat ruow* (qui neque interdiu neque noctu quiescit) 16, 2. Qui usus dicendi cum apud recentiores adeo prævaluerit ut omnes aliæ locutiones perraræ factæ sint, scriptor noster frequenter in priore enuntiato negationem quamcunque pro *weder* usurpat, quin eam omnino tollit : *keyn tag noch nacht* (neque interdiu neque noctu) 30, 11. — Sed sublata negatione, occurrit in cap. 53 v. 11 dictio : *tag noch nacht.* Adverbio negativo *nie* (numquam) deinde opponitur *noch* in Prot. v. 33 : *mir nie kam für mund noch kælen* (mihi numquam venit ante os neque fauces). Quin etiam adverbium *wenig* (parum), quod proprie negativum dici non potest[1], et conjunctio *noch* disjunctionem significant in cap. 34 v. 12 : *wenig kunst noch tugent* (parum artis aut virtutis).

[1] In mero sermone mediævali vocabulum *wenec* non raro negationem significare testatur *Paul* in Gramm. mediævalis § 313.

Proximum est ut de pronuntiatis cogitemus oppositis. Primum non raro geminat auctor noster conjunctionem *ehe* ad locutionem latinam *potius quam* significandam: altera conjunctio tum relativa est, altera demonstrativa, velut in hoc exemplo: *ee er reden wolt eyn wort Lyesz er ee das er wurd ermort* (Mori ei satius fuit quam verbum ullum loqui) 66, 25-26.

Póstremo conjunctio *dann*, conjunctionibus *wenn* vel *so* juncta, persæpe apud *Brant* per *præterquam si* in latinum converti potest: *Nyd lacht nit dann so undergat Das schiff* (Invidia non ridet præterquam si perit navis) 53, 21-22. — Apud recentiores, hæc conjunctio, figuram *denn* adepta, verbo constanter postponitur, qui usus apud *Brant* quoque occurrit. Eamdem quoque significationem habet conjunctio *wann* in cap. 63 v. 25: *Mancher... wol wercken mœcht... Wann das er sich nit wol mag bucken* (Multi laborare volunt, præterquam quod se demittere nolunt).

Causativas denique consideremus pronuntiationes. Causam significat apud *Brant*, adamussim sermonis mediævalis, plerumque genitivus *des* pronominis demonstrativi *der*, *die*, *das*, pro quo sermo recens conjunctiones compositas *deshalb*, *deswegen* (quare, itaque) et alias usurpat: *Des wart Aglauros zuo eym steyn* (Quare Agl. lapis factus est) 53, 26. — *Des ist der eebruch yetz so grosz* (Itaque adulterium nunc tam pervulgatum est) 33, 25.

Ad conjunctiones latinas *nam*, *enim* significandas, *Brant* non usurpat *denn*, quæ conjunctio apud recentiores in usu est, sed conjunctionem *dann*, quam sermo mediævalis pariter atque *denn* usurpabat: *Myn suon stat nackt und blosz all tag, Dann buolchafft nyeman bergen mag* (Filius meus semper nudus et detectus stat, nam luxuriam nemo occulere potest) 13, 19-20. Eamdem autem significationem habet quoque conjunctio *wann* quæ enuntiationes modo conjungit modo subjungit: *Eyn frow ist worden bald eyn hætz Wann jnn sunst wol ist mit geschwætz.* (Femina facile pica fit, Quoniam omnino eas garrire juvat) 64, 19-20.

Priusquam de verborum continuatione disserimus, nonnulla notemus quæ ad verborum ordinem in pronuntiatis simplicibus aut conjunctis pertinent. Cum adverbium scilicet initium pronuntiati facit, Sebastianus *Brant* subjectum verbo postponit plerumque, sed non constanter, velut in cap. 30 v. 29 verbum antecedit partem subjectivam : *Sellten man pfruenden yetz usz gyt* (Raro nunc præbendæ dantur). E contrario præponitur nonnumquam verbum parti subjectivæ in enuntiatis in quibus usus recens postulat ut verbum subjecto postponatur. Talia sunt exempla hæc : *Jo sol man jm die brittschen schlagen* [1] (quin etiam ferula cædi debet) 59, 19. — *Sunder sehen sie hynder sich* (Sed respiciunt) 84, 6.

[1] Merum sermonem mediævalem in ejusmodi sententiis sic quoque verba collocavisse *Paul* in Gramm. mediæv. § 185 testatur.

CAPUT IV

DE CONTINUATIONE VERBORUM

Quod ad modos primum attinet, usus Sebastiani *Brant* cum sermone et mediævali et recente plerumque congruit, quare haud necessarium nobis videtur esse, quo pacto modus quisque usurpetur, exemplis probare. Notandum nobis visum est tantum quod *Brant*, ad conditionalem qui dicitur formandum, verbum auxiliare *sollte* usurpat cujus in vicem, prioribus temporibus perusitati, apud recentiores verbum *würde* cessit. Est enim sic in cap. 45 v. v. 17-18 : *Wer jn har usz solt gzogen han Der hett jm gwalt und unrecht gtan* (Qui eum extraxisset, ei vim et injuriam intulisset).

His generaliter de modorum usu apud Sebastianum *Brant* dictis, ad pronuntiata relativa transeamus. Pronomen *der, die, das* apud auctorem nostrum demonstrativo sine ullo discrimine præponitur aut postponitur[1] : *Der duot eym narren an die schuo Der weder tag noch nacht hat ruow* (Is stulto calceos induit, qui neque interdiu neque noctu quiescit) 16, 1-2. — *Der mich hasszt der verdyrbt gar dick* (Qui me odit, is persæpe perit) 22, 28. In demonstrativi autem locum potest pronomen indefinitum succedere : *Alles das man wünschen mag* (omnia quæ optari possunt) 22, 7. — *Und ist doch viel das jm gebrist* (et multa sunt tamen quæ ei desunt) 42, 22. Tollitur ceterum sæpissime demonstrativum si utrumque eumdem casum habet, velut in his exemplis : *Du vergünst mir das ich han* (Invides mihi quod habeo) 53, 4. — *Wer lachet des eyn ander weynt*

[1] Sermonem quoque mediævalem huic usui favisse *Paul* in Gramm. mediæv. § 373, 1 commemorat.

(qui deridet quæ alius luget) 68, 15. Rarius contra demonstrativum sublatum non eumdem casum habuisset quam relativum, velut in cap. 5 v. 34 : *Swær ist recht tuon ders nit hat gewont* (difficile est bene agere [ei] qui non solet)[1]. Nonnumquam autem pronomen relativum conjunctionis *ut* vim habet[2] : *keyn mensch so hoch hie kumen mag Der jm verheisz den mornden tag* (Nullus homo hic in terris tam alte ascendere potest, Qui sibi crastinum diem promittat) 37, 7-8. Quodsi relativum ad pronomen refertur quod non tertiam sed primam aut secundam personam exhibet, *Brant* secundum usum mediævalem non iterat pronomen personale primæ vel secundæ personæ post relativum, ut hoc vim primæ vel secundæ personæ habeat, qui usus apud recentiores prævaluit. Tale enim est in his exemplis : *Wir die krysten wellen syn* (Nos qui Christiani volumus esse) 110b, 52. — *Mercken all die jn dorheyt synt* (Animadvertite omnes qui in stultitia estis) 22, 4. — Denique nonnumquam pronomen relativum per adverbium *da* [*do*] corroboratur : *die erd ist sellig die do hat Eyn herren der jnn wiszheyt stat* (Terra felix est quæ dominum habet qui sapiens est) 46, 17-18.

Pronomen *wer, was* deinde non raro apud auctorem nostrum ad substantivum referri, aut demonstrativum sequi quocum jungitur his probatur exemplis : *ein testament was mir leydt wurt noch mynem dot* (testamentum cujus pœnitebit me post mortem meam) 5,6-7. *Der ist nit würdig græsser schenck Wer an die kleynen nit gedenck* (Is majoribus donis non dignus est, qui parvorum est immemor) 59, 23-24.

Non ita raro autem copulatur pronuntiato relativo cujus subjectiva pars *wer* pronomen est per conjunctionem *und* (et) altera pronuntiatio cujus subjectum pronomen personale est, quo proprie anacoluthon efficitur. Tum consecutio verborum ea tantum conditione explicari potest ut pronomen *wer* (qui)

[1] Similia exempla e scriptoribus sumpta qui merum sequuntur usum mediævalem *Paul* in Gramm. mediæv. § 343, profert.

[2] *Paul* in Gramm. mediæv. § 346, 1, testatur merum quoque sermonem mediævalem huic usui indulcisse.

in *wenn einer* (si quis) convertatur : *Wer bgært das man jm dyen all tag Und er doch danck und lon versag Ist wol das man jm die brütschen schlag* (Qui postulat ut sibi quotidie serviatur Et is tamen gratiam et mercedem recusat Justum est eum ferula feriri) 59, α-γ [1].

Anacoluthon eo quoque efficitur quod demonstrativum et relativum pronomen non congruunt, sed relativum ad aliud demonstrativum, demonstrativum ad aliud relativum referuntur ac quæ in pronuntiato exstant, velut in hoc exemplo : *Wes eyner will das er genyesz Der luog das er ouch widerschyesz* (Qua re quisquam frui vult Is videat ut invicem retribuat) 59, 20-21. In hac enuntiatione exstat pronomen demonstrativum *is* quasi pronuntiatum relativum his verbis enuntiaretur : *Qui aliqua re frui vult.*

Demonstrativi autem partibus fungitur nonnumquam pronomen *derselbe* (idem), aut illius in vicem succedit pronomen personale : *Doch lebt der selb nit lang... Wem* (Attamen is non diu vivit, cui..,) 90, 13-14. — *Gar dick die hæchlen er entpfyndt wer...* (Sæpissime ferreos hamos is sentit qui...) 71, α-β. Deinde non ita raro apud auctorem nostrum, demonstrativo sublato, relativum ejusdem casus exitum adipiscitur quem pronomen demonstrativum præbuisset. Appellatur hic usus scilicet attractio relativi, velut in exemplo quod sequitur : *Ich... mach ein gouch usz wem ich will* (Quem volo cucullum — *id est* stultum — facio) 13, 11 [2].

Denique suscipiunt vices pronominis relativi apud *Brant* vocabula *welcher* et *so* : pronomen *welcher* scilicet secundum usum sermonis mediævalis sæpissime demonstrativum præcedit. *Welch wiszheit, tugent an jn handt Die schwymmen nackent wol zuo landt* (Qui sapientiam, virtutem secum portant, Ii nudi ad terram natare possunt) 109, 33-34. Adverbium *so*

[1] Cf. nonnulla ejusmodi exempla apud *Paul* in Gramm. mediæv. §§ 345. 346, 2.

[2] In mero sermone mediævali occurrere persæpe attractionem relativi *Paul* in Gramm. mediæv. § 343 commemorat.

deinde, pronominis vim adeptum, ad substantiva aut ad pronomina referri hæc probant exempla : *Unter aller creatur So hat vernunfft...* (Inter omnia creata quæ rationem habent) 54, 16-17. — *Und borget viel so jm zerrynnt* (Et multa mutuatur quæ ei pereunt) 78, 23.

Ex omnibus iis manifestum fit Sebastianum *Brant*, in enuntiatis relativis usurpandis multo majore licentia usum quam per normam sermonis recentis licet, in summa normam sermonis mediævalis servavisse. Quin etiam scriptor noster vult nonnumquam pronuntiati relativi vices suscipere pronuntiatum conditionale ad quod demonstrativum refertur quasi pronomen relativum exstaret, quo, pariter ac in sententiis quas supra commemoravimus, anacoluthon nascitur, velut in cap. 18 v. v. 3-4 : *Dann wo zwen herren hat eyn knecht Der mag jn nyemer dienen recht* (Nam ubi duos dominos habet servus, Is numquam illis recte servire potest).

Postremo quod ad adverbia relativa pertinet, notandum est adverbia *da, dar* et quæ ex his adverbiis et præpositionibus coaluerunt secundum usum medii ævi constanter relativam vim habere : *Man fyndt der stett noch me dann eyn Do man hant schmyerung gern uff nymt* (Inveniuntur urbes multæ Ubi pecunia ad subornandum libenter accipitur) 46, 56-57. — *Keyn zitlich wollust würt so suessz Do von nit gall zuo letst usz flyesz* (Nulla voluptas temporalis tam dulcis est E qua fel non denique fluat) 50, 29-30. Non raro autem demonstrativum aut substantivum abest ad quod adverbium relativum referatur, et inter ipsius utramque partem plura vocabula inseruntur. Utrumque hoc confirmatur exemplo : *Der ist eyn narr der kynden gytt Do er syn zyt solt leben mytt* (Is stultus est qui liberis suis [ea] dat quibus vitam tolerare debet) 90, 1-2.

II.

Completiva appellantur ea pronuntiata quæ significationem enuntiati principalis explent et eo quasi desiderantur ut sensus videatur perfectus. Germanicæ scilicet conjunctiones *das* (quod)[1], *ob* (num), *wie* (quomodo) ea inducunt.

Ac primum quidem de figura et usu conjunctionis *das* disseramus. Apud scriptorem autem nostrum hæc conjunctio, cum semper per *s* non per *sz* efferatur, a nominativo vel accusativo singulari neutrius generis articuli aut pronominis *der*, *die*, *das* nullo modo discrepat. Hæc conjunctio plerumque significationem pronuntiati quo trahitur explet, modo indicativo juncta, modo conjunctivo: *nit benuegt an aller sünd Und das sie sint des tiefels kynd* (Non contenti omni peccato et filii diaboli esse) 87, 3-4. — *Welcher meynt das er witzig sy* (Qui putat se esse acutum) 13, 9.

Conjunctionem *das* deinde sæpissime pronuntiatum inducere id significans quod e pronuntiato principali efficitur satis notum est; auctoris autem nostri usui proprium est quod pro *so* (ita) adverbio nonnumquam locutionem *in masz* (eo modo) ad conjunctionis *das* significationem illustrandam usurpat: *All land syndt jetz voll heylger geschrifft ...In masz das ich ser wunder hab Das nyemant bessert sich dar ab* (Omnes regiones nunc sacrarum scripturarum plenæ sunt,... Eo modo ut mirer Quod nemo eo melior fiat) P., 1-6.

Multo rarius contra *das* conditionem indicat: *keyner verdyenen mœcht grosz goltt Das er an eyner predig sæsz* (Nullus multum aurum lucrari vult [ea conditione] ut sermoni intersit) 77, 22-23.

Deinde modo præcedentibus modo sublatis præpositione *um[b]* (causa) aut adverbio *darum[b]* (propterea), conjunctio *das* causam significat, quam ad indicandam recentiores *weil* usurpant

[1] De usu conjunctionis *das* in mero sermone mediævali *Paul* in Gramm. mediæv. § 351 disserit.

Esau der jagt umb das er was Eyn sünder (E. venabatur quod peccator erat) 74, 29-30. — *David dett eebruch und dottschlag darum das er træg, muessig lag* (D. adulterium et homicidium fecit, propterea quod segnis, otiosus jacebat) 97, 21-22. — ...*als Collatinus det Das man Lucretz geschmæhet het* (Sicut fecit Collatinus quod Lucretia violata erat) 33, 23-24.

Ad finem autem indicandam, *Brant* non ita frequenter conjunctionem *das* usurpat simplicem. Plerumque apud eum significant hunc sensum conjunctiones *uff das, domit* et *domit das* (ut, *cum negatione* ne): *Sindt witzig und trachtend das end Das gott das radt üch nit umb wend* (Prudentes estote et ad finem tendite, ne deus rotam vobis vertat) 56, 41-42. — *Der dunck und folg alleyn zuo recht Uff das er nit ein zunsteck blib* (Is secum cogitet et rectum sequatur solum, ne asser septis — *id est* stultus — sit) 2, 8-9. — *Ere vatter und muotter allzyt Do mit dir gott lang leben gytt* (Patrem et matrem semper in honore habe, ut deus tibi longam vitam det) 90, α-β. — *Das er... langzyt uff der strasz sich sum Do mit das jm vil lüt bekum* (Eum diu in via consistere, ut multi sibi obviam eant) 80, 13-14.

Subauditur denique nonnumquam conjunctio *das*, non tantum quæ pronuntiatum completivum inducit, sed quæ concludit quid e pronuntiato principali efficiatur, velut in cap. 16 v. v. 85-86: *Und werden do by allso voll Man lieff mit eym eyn tür uff wol* (Atque ex eo tam ebrii fiunt [ut] uno velut ariete fores frangi possint). Ita quoque anacoluthon fieri liquet.

Postremo completiva esse supra commemoravimus, præter ea pronuntiata quæ conjunctione *das* inducuntur, ea quoque in quibus oratione obliqua interrogatur; inducunt hæc scilicet sæpissime conjunctiones *wie* (quomodo) et *ob* (num). Nonnumquam autem pronuntiatum principale et enuntiatio subjuncta ad amussim usus mediævalis[1] minus stricte junguntur quam

[1] Cf. *Paul* in Gramm. mediæv. § 353.

per sermonem recentiorem licet: *Der weder tag noch nacht ha ruow Wie er den wanst füll* (Qui neque interdiu neque noctu requiescit, [incertus] quomodo alveum repleat) 16, 2-3. — *Das sie... Unnütz geschwetz allein betrachten Ob es well tag syn oder nacht* (Quod inutiles ineptias considerant solas, [disputantes] luceatne an nox sit) 27, 12-13.

III.

In iis deinde pronuntiatis quæ tempus significant animadvertendum est primum exprimantne fieri aliquid an durare, tum quæ pronuntiato subjuncto indicantur et quæ pronuntiatum principale exprimit, utrum simul fiant necne.

Ac primum quidem de ejusmodi verborum continuationibus tractabimus in quibus ea quæ pronuntiatum subjunctum et quæ principale indicant simul fiunt. Ad hoc significandum usurpantur sine ullo discrimine a Sebastiano *Brant* conjunctiones *wann*, *so*, *da* [*do*] (cum), *die weil* [*die wile*] *weil* [*wil*] (dum): *All ere und tugent gar vergasz Allexander wann er truncken was* (omne decus et omnem virtutem Alexander negligebat cum ebrius erat) 16, 41-42. — *Wer zürnet so es nit ist nott* (Qui irascitur cum non opus est) 78, 14. — *Do Holofernes truncken wart Verlor den kopff er* (Cum H. ebrius factus erat, caput amisit) 16, 35-36. — *Die wile er gat zuon buechern heym So fert der siech goen dottenheym* (Dum [medicus] domum ad libros suos it, ægrotus moritur) 55, 5-6. — *Gib wil du lebst* (Da dum vivis) 3, 23. — Conjunctio *so lange* autem cum correlativis conjunctionibus latinis *tamdiu... quamdiu* congruit et significat quæ principale et quæ subjunctum pronuntiatum indicant eodem durare temporis spatio: *Das rœmsch rich blibt so lang got will* (Imperium romanum tamdiu manebit quamdiu deus volet) 56, 90.

Deinde ea quæ pronuntiatum subjunctum exprimit ante ea

quæ principale pronuntiatum significat facta esse indicat plerumque conjuctio *nachdem* (postquam). Quæ conjunctio apud auctorem nostrum, etiam cum enuntiatio principalis tempus exhibet perfectum, frequenter non plusquamperfecto, sed præterito jungitur, pariter ac latina conjunctio *postquam*: *Gott weisz... War umb er Nabuchodonosor Der vil gesündet hatt vil jor Strofft und zuo ruw doch kumen lyesz Und zuo sym rich noch dem er buezzt* (Deus scit cur Nabuchodonosorem qui multos annos multum peccaverat Puniverit et ad pœnitentiam tamen venire siverit Et ad regnum suum postquam piavit) 57, 45-48.

Postremo inter eas conjunctiones quas *Brant* usurpat ut indicetur pronuntiatum principale priora, posteriora subjunctum significare, notemus *ee dann* (priusquam): *Abraham vorht synr frowen ee Dann er ye kæm gon Gerare* (A. uxorem suam vitavit priusquam ad urbem Gerare venit) 33, 85-86. — Nonnumquam huic conjunctioni præmittitur adverbium *vor* (antea), velut in cap. 12 v. α: *Wer nit vor gürt ee dann er rytt* (Qui non antea equo cingulam colligat, priusquam equitat).

IV.

Sequitur ut pronuntiata consideremus quæ modum et comparationem indicant; exhibent autem hæc plerumque in enuntiatione principali adverbium demonstrativum *als* (sic), in subjuncto adverbium relativum *wie*[1] (ut), aut corroboratum *glich wie* (pariter ut): *wie du richtst mich und ich richt dich Als wirt er richten dich und mich* (Ut tu de me judicium facies et ego de te, Sic de te et de me judicium faciet — *scil.* Deus —) 2, 23-24. — *Als gont die narren jnn jr schossz*

[1] In mero sermone mediævali adverbium *wie* non relativum sed interrogativum fuisse tantum omnibus notum est. Cf. *Paul* in Gramm. mediæv. § 317.

Glich wie zuom schynder got der ochsz (Sic stulti in ejus sinum eunt, Pariter ut ad lanium it bos) 50, 9-10.

Attamen *als* adverbium apud *Brant* secundum usum mediævalem haud raro relativi locum obtinere permulta probant exempla, velut cap. 33 v. 17 : *tuon als ettwan dett Catho* (faciunt ut quondam fecit Cato). Itaque non ita mirum videbitur nobis interdum utrumque pronuntiatum et principale et subjunctum per idem adverbium induci : *Wem nit der gmein nütz ist als werd Als eigen nutz* (Cui communis utilitas non pariter cordi est ac ipsius commodum) 10, 25-26.

Ut autem significetur ea quæ conferuntur et ea quibus conferuntur non esse æqualia, pronuntiatum principale exhibet plerumque comparativum aut adverbium *so* (ita) negationi conjunctum, in pronuntiato vero subjuncto inveniuntur fere constanter adverbia *dann*, *als* aut *wen*[*n*] : *wiszheyt ist besser dann all welt* (Sapientia melior est quam totus orbis terrarum) 22, 6. — *keiner so lieb syn nechsten hat Als dan jm gsatz geschriben stat* (Nullus proximum suum tantum amat, quantum in lege præscribitur) 10, 17-18. — *Keyn liebern will ich wen dich han* (Nemo magis mihi in deliciis erit quam tu) 33, 46.

Denique correlativa adverbia latina *eo... quo* nostris temporibus lingua germanica per adverbia *je* pronuntiato subjuncto, *desto* pronuntiato principali præposita exprimit. Prior usus, quem *Brant* etiamnum sequitur, in utroque pronuntiato adverbium *je* usurpari sinebat : *Je me man die zuo gründen gært Je mynder man dar von erfært* (Quo magis ea — *scil.* judicia divina — perscrutari cupimus Eo minus ea novimus) 57, 81-82.

Ad pronuntiata nunc transeamus, quæ causam indicant. Supra vidimus conjunctionem *das*, præcedentibus adverbio *darum* aut præpositione *um* non raro confirmatam, sæpe apud scriptorem nostrum ea pronuntiata inducere quæ causam significant. Invenitur autem in ejus scriptis ea quoque conjunctio quæ apud recentiores prevaluit ad causam significandam. *Weil* scilicet principio substantivum erat, quo intelligitur cur, præposito sæpe *articulo*, figuram *dieweil* exhibeat.

Cum substantivum *die weile* (momentum) spatium temporis significet, conjunctio primitus ad tempus indicandum usurpabatur, cui usui Sebastianum *Brant* parere supra animadvertimus. Apud eum quoque *die weil* [*die wile*] a temporali ad causativam significationem transiit. *Das hie keyn bliblich wesen sy Die wile wir farent allesant Von hynann jn eyn fræmbdes landt* (Hic in terris nihil permanere, quoniam omnes vehimur hinc in externam regionem), 43, 18-20.

V.

Extremum est ut de pronuntiatis agamus quæ conditionem indicant aut concessionem.

Ad conditionem primum significandam, sermo mediævalis plerumque conjunctionem *ob* usurpabat qua recentiores tantum sententias per interrogationem inducunt. Apud *Brant*, prioris usus auctoritate fretum, hæc conjunctio sæpe conditionem indicat, quamquam non raro in completivam magis significationem transit: *Ob ich der botten nuon vergæsz... Sie manten mich ee selber dran* (Si nuntios nunc obliviscerer, ipsi me sui memorem esse cogerent) 80, 1-3. — *Der soll... sich nit klagen... ob man jm arbeyt duot versagen* (Is queri non debet quod [si] ei labor recusatur) 59, 17-18.

Quodsi conjunctio *ob* significationem habet ambiguam, quippe quæ inter conditionalem et completivam dubia sit, ad conditionem proprie indicandam, Sebastianus *Brant* usurpat conjunctiones *wann* (*wenn*), *wo* et *so*: *Vil würden bald vast witzig syn Wann wyszheit stecket jnn dem wyn* (Multi mox sapientissimi essent si sapientia in vino resideret) 16, 65-66. — *Wo uch syn zorn ergryfft und grym... Würt üwer gwalt nit blyben mer.* (Si ejus ira vos prehendit et furor, potestas vestra non diutius manebit) 56, 44-46. — *Dann so man nit zuo bzalen hett Sie nement kuter von dem bett* (Nam nisi habes unde restituas, culcitram a lecto auferunt) 25, 27-28. Conjunctio *so* autem,

secundum normam sermonis mediævalis, plerumque tempus indicat: *so ich gedenck* (cum reputo) 61, 5.

In exemplis contra nonnullis, disconvenire quasi diversitate quadam pronuntiatum principale et pronuntiatum subjunctum conjunctio *so* indicat, quem ad sensum significandum recentiores conjunctionem *während* usurpant. *Mancher eyni andern macht eyn kouff Der blibt so er zuom thor usz louft* (Multi cum alio paciscuntur qui manet, illi autem pedem porta efferre festinant) 48, 23-24. Nonnumquam autem corroborat eam conjunctio *doch*: *Und wann sie nyemans loben wil So loben sie sich dick und vil So doch der wisz man gibt urkund Das lob stinck usz eym eigenen mundt* (Et cum nemo eos — *scil.* stultos — laudare vult, laudant se ipsi sæpe et multum, cum sapiens contra probet laudem male olere — *id est* nihil valere — cum ab eo ipso emittitur qui laudatur)[1] 46, 9-12.

Simili modo, ad corroborandam conjunctionem *wann*, auctor noster jungit ei adverbium *sunst*, quo gemina conjunctio *wann sunst* fit cujus in vicem, cum conjunctione latina *si modo* congruentis, successit apud recentiores *wo anders*: *Doch luog er und heb nit jnn grundt Noch in die hœh, sunder jnns zyl Wann er den zwœck sunst rueren will* (Attamen spectet neve terram aut altum sed destinata petat si modo scopum ferire vult) 75, 8-10.

Pro *wenn nur* (dummodo), quam conjunctionem recentiores usurpant, invenitur apud *Brant* conjunctio *echt* sermoni mediævali acceptissima, velut in cap. 48 v. 34: *Ich... leg dar an keyn kost noch wile Echt ich alleyn mœcht machen vil* (Neque sumptum neque tempus in hanc rem confero, Dummodo solus multa facere possim). In aliis locis autem habet hanc vim conjunctio *wann... allein*: *Wann er alleyn üch trüwen mag* (dummodo vobis confidere possit) 99, 164.

[1] Commemoremus quoque in enuntiationibus nonnullis, simplicibus quidem, redundare quasi conjunctionem *so*, velut in cap. 19, v. 37: *Durch sie so duont wir scheltten gott* (Per eam — *scil.* linguam — deo maledicimus).

Apud recentiores denique, sublata interdum conjunctione quæ conditionem significat, præpositum parti subjectivæ verbum enuntiationem efficit conditionalem. Quotiescumque æquales nostri conditionem hoc modo indicant, præmisso enuntiationi principali adverbio *so*, in hac quoque enuntiatione verbum partem subjectivam præcedit. Apud *Brant* contra, neglecto plerumque adverbio *so*, ordo verborum non invertitur[1]. *Lebt er esz würt usz jm eyn man* (si vivet, vir fiet) 5, 22. Usurpato autem adverbio *so*, verbum et subjectum præpostere poni probat hoc exemplum : *Dann duot er nit die rechten griff So schüszt er zuo dem narren schiff* (Nam nisi rem astute aggreditur, navim stultiferam arcu feriet) 75, β-γ.

Ad pronuntiata deinde concessiva inducenda, scriptor noster usum mediævalem secutus usurpat diversissimas conjunctiones. Sæpissime occurrit conjunctio *ob* cui plerumque, ut concessionem significare eam clarius eluceat, adverbia *joch* (certe) aut *schon* (jam) junguntur : *Ob voll krützer wer din huot* (Licet petasus tuus nummorum plenus esset) 34, 20. — *Ob joch eyn wyser gæhling stirbt* (quamquam sapiens subito moritur) 106, 25. Adverbia *joch* et *schon* autem interdum uno aut pluribus vocabulis a conjunctione sejunguntur, velut in exemplis his : *Ob unglück ettwann joch ist kleyn* (quamquam infortunium nonnumquam parvum est) 109, 5. — *Ob ich schon hab eyn groben synn* (Quamquam ingenium hebes habeo) 1, 25. Sublata non raro conjunctione *ob*, verbo autem parti subjectivæ præposito, adverbium *joch* solum concessionem indicat ; hoc tamen in disjunctivis tantum propositis fieri videtur : *Schwætzer... redt keym menschen üt guots noch Er sy joch nyder oder hoch* (Garrulus nulli homini bene dicit, sive infimus est sive summus) 19, 51-52. Concessionem indicant quoque conjunctiones *So... schon, wann... schon, wie wol* : *So er schon ver-*

[1] Præcedente enuntiato subjuncto, in enuntiato principali pars subjectiva, secundum normam usus mediævalis, verbum nullo discrimine præcedere potest aut sequi. Cf. *Paul* in Gramm. mediæv. § 354.

schlembt syn hab (Quamquam rem suam profundit) 63, 90. — *Wann er erfart schon hohe ding* (Quamquam magna comperit) 66, 114. — *Wie wol Terencius spricht* (Quamquam Terentius dicit) P., 73. Adjectivo præpositum denique adverbium *wie* interdum per se ipsum concessionem significat apud auctorem nostrum, cum recentes ei adverbium *auch* jungunt : *man macht zam yedes thier Wie hert, wie wild, wil grymm das ist* (Animal quodcumque mansuefit, quantumvis durum, ferum, ferox sit) 19, 32-33.

VI

Sermonis vulgaris propria est plerumque consecutio quædam verborum simplex et parum circumfluens. Unus de multis verba diu continuata circuitusque orationis effugit, et quid sentiat enuntiationibus declarat brevibus quæ sæpius conjunctæ sunt quam subjunctæ. Quare non mirum visum est nobis quod Sebastianus *Brant*, quippe qui sermonem imitaretur vulgarem, quamvis multa habeat communia cum scriptoribus qui merum exhibent usum mediævalem, non verba comprehensione devinxit pariter ac fecerunt poetæ multi, quales sunt Gottfridus Argentoratensis et *Wolfram von Eschenbach* qui in numero sunt optimorum temporis illius auctorum; immo exstant apud eum plerumque ambitus verborum breves, simplices, quales exhibet poema illud *Nibelungen* inscriptum quo præcipue popularis illa medii ævi poesis repræsentatur.

Nihilominus autem, ut pronuntiationis simplicis usus apud scriptorem nostrum mirum in modum congruit cum sermone mediævali, ita congruit quoque multiplicis ordinatio pronuntiati. *Brant* scilicet multas conjunctiones veteres, ab usu quotidiani sermonis intermissas, usurpat, quales sunt *des* (quare), cujus vices suscepit *deshalb;* — *echt* (quamvis) cujus in locum successit *obgleich;* — *wan* (nam), pro qua conjunctione recentiores *denn* usurpant. Sed illud mirati sumus præcipue, quod apud

Brant, pariter ac in sermone medii ævi, complures conjunctiones perusitatæ in diversas sententias accipiuntur, cum lingua recentiorum, utpote quæ subtilitati magis faveat, aut plures conjunctiones usurpet ad sententias exprimendas quæ olim uni conjunctioni subjiciebantur, aut saltem huic conjunctioni modo hanc modo illam adjiciat particulam, ut significatio magis definita videatur. Attamen scriptorem nostrum jam magis delectat proprietas quædam in usurpandis conjunctionibus, cujus sermo medii ævi erat insolens. Conjunctio *das* scilicet, quæ olim sola quid ex aliqua re efficeretur concludere, aut finem aut causam exprimere poterat, hos quidem sensus apud *Brant* significat, sed plerumque significatio conjunctionis adjuncto adverbio aut præpositione dilucidius constituitur; velut abverbia *so, in masz* conjunctionem præcedunt cum exprimit quid rem aliquam consequatur, aut particulæ *umb, darumb* ad causam, *uff, damit* ad finem indicandum eam prægrediuntur.

Non desunt præterea aliæ conjunctiones quæ diversissimos habent intellectus pariter ac in sermone mediævali; vetus enim conjunctio *wan*, quam apud *Brant* conjunctionis *denn* (nam) vices suscepisse supra protulimus, exprimit quoque significationem conjunctionum *præterquam*, *quia*, *cum*, *si*; deinde conjunctiones *weil* et *ob* dupliciter dicuntur, cum illa modo tempus modo causam, hæc modo conditionem modo concessionem indicet. Tum conjunctio *so* conditionem, tempus aut disconvenientiam significare potest; conjunctio *als* denique demonstrativa aut conjunctiva est et vim conjunctionum latinarum *pariter ac, necnon* aut *sicut* exhibet vicissim.

De pronuntiatis relativis similia exstant: occurrerunt scilicet apud *Brant*, qui paruit præterea normæ sermonis mediævalis, multa licentius dicta quam per recentiores licet: pronomina *der, welcher, wer* neque significatione neque usu dilucide inter se secernuntur, neque certum occupant in enuntiatione locum; eo quoque nonnumquam est enuntiatio minus aperta et subtilis quod antecedens demonstrativum sæpe tollitur, aut quod occurrit attractio relativi, quæ dicitur,

aut quod non ita raro relativum finem aut conditionem exprimit. Quodsi subtilitas nonnumquam abest, oratio certe eo expeditior fit et venustior. Ipse denique ordo verborum non tam certe constitutus est quam temporibus nostris. In pronuntiatis scilicet in quibus norma sermonis recentiorum omnino verbi et subjecti ordinem inverti vult, exstat consecutio verborum directa, et vicissim inversa.

Ex illis omnibus sequitur scriptorem nostrum in usurpanda pronuntiatione multiplici fere constanter normæ sermonis mediævalis paruisse, et orationem ejus fere pariter esse expeditam et pariter facile currere quam quæ exstat apud auctores qui tempus illud insigne reddiderunt.

CONCLUSIO

Plurimum valere in sermone scriptoris nostri dialectum alsaticam sat superque illustravimus. Multa autem nobis apud eum occurrerunt quæ cum mero usu medii ævi congruunt, nonnulla quæ a norma sermonis mediævalis distant. Quomodo hoc est intelligendum? Putandumne est Sebastianum *Brant* partim usui mediævali paruisse, partim dialecti auctoritatem esse secutum? Minime; invenimus contra apud *Brant* sermonem vulgarem alsaticum, qualem vergente sæculo decimo quinto non plebs quidem, sed humanissimus quisque usurpabat. Congruere autem multifariam hunc sermonem cum mero usu medii ævi non est mirandum. Purus enim sermo mediævalis e compromisso quodam quasi exstitit quo omnia quæ dialectis Germaniæ superioris communia erant recepit, omnia contra rejecit quæ huic atque illi dialecto erant peculiaria. Cum autem scriptores quorum usus normam sermonis mediævalis constituit rhenanas præcipue dialectos imitati sint, non mirum videri debet permulta dialecto alsaticæ et sermoni illi esse communia.

Dialecti autem vulgaris auctoritati paruisse omnino scriptorem hunc ipsi populares et æquales ejus intellexerunt. Est enim sic apud Geilerum Cæsarimontanum cui Sebastiani *Brant Navis Stultifera* multorum sermonum fuit materia: « Ecce lingua nostra vernacula theutonica (ea quam cum lacte in Alsatia superioris Germaniæ suximus) conscriptum est »

[*scilicet* speculum fatuorum] [1]. Omnia igitur quæ nobis notanda occurrerunt, ut ea quæ a puro usu medii ævi distantia sermoni Sebastiani *Brant* propria videbantur, ita ea quæ cum norma sermonis mediævalis congruebant, seculo decimo quinto alsaticæ dialecto fuerunt accepta. Servatus est denique apud auctorem nostrum usus dicendi qui, in omnibus iis quæ maximi momenti sunt, cum sermone mediævali consentiebat, cum hic sermo ducentesimo ante anno obsolevisset.

[1] D. Johannis Geileri Cæsarimontani speculum fatuorum cum figuris. Argentorati anno MDXI. (Citat. in Sebastiani *Brant* Navi stultifera a Friderico *Zarncke* edita, Lipsiæ 1857, p. 251.)

APPENDIX

DE SEBASTIANI BRANT DICTIONE ET VERSIFICATIONE

Cum supra de Sebastiani *Brant Navi Stultifera* generaliter egimus, confiteri nos opus fuit materiam libelli sui non fuisse propriam auctori nostro, quoniam in poemate ejus pleraque e diversissimis scriptoribus excerpta sunt. Quodsi contra consideramus quo dicendi genere usus sit ut materiam illam vulgarem et pæne pertritam exprimeret, haud difficile erit recognoscere Sebastianum *Brant* arte aliqua novatam formam usurpavisse, et quæ hinc atque illinc mutuabatur elocutionis novitate et quod multa feliciter ausus est sua fecisse. In hoc igitur capite proposuimus nobis scrutari et ostendere quomodo scriptor noster rem variaverit et incitata oratione sermonisque lepore lectorem sibi conciliaverit.

Totam præterea illam rhetoricæ partem quæ ad grammaticam magis pertinet silentio prætermittemus, quod eam in iis capitibus in quibus de Sebastiani *Brant* syntaxi egimus satis superque disputavimus. Anacolutha tantum illa quæ nobis frequentissime occurrerunt in memoriam reducemus. Hinc apud scriptorem nostrum orationis impetus, hinc simplex atque in promptu positus dicendi modus; nonnumquam quidem res sic minus dilucide apparent, sed plerumque orationis perspicuitas nullo modo minuitur. Cum verborum ambitus longior fit aut flaccescit, aut cum scriptor hanc vel illam enuntiati partem illustrare vult, id infringit novaque quasi comprehensione devincit, congruatne uterque ordo verborum necne nullo

modo curans. Supra autem sat multa protulimus exempla ut non necesse sit nunc alia proferre, sed manifestum facere voluimus quantum hæc orationi impetum et non fucatum nitorem adhibeant, ut scriptor verba de medio sumere, non fastidioso genere dicendi uti videatur quod fere semper moralium est proprium.

Neque quidem facile grex ille stultorum quos auctor in conspectum nostrum venire voluit jucundus fieri poterat. Arduum erat præcipue variare satis orationem in describendis omnibus stultis illis quos scriptor inducit delirantes, neque quidquam pro sano facientes. Attamen affirmari potest in omnibus fere locis Sebastianum *Brant* moras effugisse et tædium; multa quidem sæpius verbis usurpantur, multa obtundunt aures, sed hoc vitari posse non videtur; neque negari potest hunc auctorem varietate quadam semper orationem distinxisse, sententiæ illius memorem, omnibus in rebus similitudinem esse satietatis matrem.

Sicut qui in circulis coronæ in conspectum venire debent, animi pendent quonam modo oculis se offerant, ita quoque stulti quos *Brant* inducit in lubrico versantur quotiescumque producti lectoribus insaniam suam aperire volunt. Sæpissime scriptor eos iisdem verbis producit quæ ad satietatem usurpat: « *is est stultus qui...* ». Hæc quidem verba, nimis sæpe iterata, molesta sunt et fastidium afferunt, sed oblivisci non debemus, si divisa in partes diligenter consideramus, auctorem sermoni diversitatem quamdam attulisse. Quodsi exempli gratia viginti capita inspicimus quæ operis initium faciunt, inveniemus septem et decem procœmia cum enuntiato relativo incipere : « *is qui* », et in duodecim capitibus eadem verba ipsius capitis exordium facere; sed in quoque fere loco res ipsa aliter significatur [1].

Aliis autem in locis *Brant* stultum ipsum lectoris in conspec-

[1] Mirandum est præcipue, quam variis imaginibus usus, scriptor noster stultos designaverit. Modo stultus is est cujus nomen in libro stultorum inscribi debet (*der ghört wol in das narrenbuoch*, 78, 21), modo qui in

tum vult venire, velut in capite primo ubi auctor quidam qui libros inutiles scripsit prodit et : « *Principatum dederunt mihi*, inquit [*scilicet* alii stulti] ».[1] In capite autem quinto, senex quidam stultus confitetur sibi per stultitiam suam non licere esse seni [2], cum in capite undecentesimo stultus lectores allocutus dicat : « Stultorum amictum mihi permittite soli [3]. » In locis contra non ita raris, poeta stultum quemdam interrogat, cui nomen aliquod fictum imposuit, velut in incipiente capite septuagesimo sexto exclamat : « Eques Petre Senior, tibi auem vellere me necesse est [4]. » Figura autem hæc interlocutionis satis frequenter apud *Brant* etiam in mediis capitibus occurrit, in iis præcipue locis quibus res magna cum misericordia tractatur, velut in cap. 57 v. 13 auctor, sermone abrupto, stultum subito compellat et : « Stulte, inquit, istam repudia insaniam [5]. » Caput octogesimum quintum præsertim, in quo de morte agitur, hanc figuram exhibet identidem usurpatam. Incipiente jam prooemio *Brant* exclamat : « Nonne per te nobilitas, divitiæ, robur, adolescentiæ flos, o mors, pace frui et tranquillitate possunt [6]? » Atque in medio capite bis mortem compellans : « O mors, quam valida est vis tua ! — O mors, quam durum est nomen

ordine stultorum locum habet (*vil sint in dem narrenorden*, 78, 1), aut qui in subselliis stultorum aut in stultifera traha consedit (*gesicht setzt ein uf den narrenbank*, adspectus aliquem in subselliis stultorum collocat 92, 64 — *der ghört wol uf den narren schlitt*, 54, γ). Tunc is est qui in navim stultiferam conscendere debet (*der ghört wol in das narrenschif*, 16, 8) modo is qui stultorum pallio induitur (*er die narrenkapp streift an*, 16, 26), modo qui stultorum funi trahitur (*derselb... wurt am narrenseil gefürt*, 27, γ) aut qui ipsi stultorum pulticulam parat (*Der rüst im wol den narrenbri*, 60, 1). Nonnulla e multis elegimus, nam multæ aliæ similes occurrunt apud *Brant* imagines.

[1] *Den vordanz hat man mir gelon.*

[2] *Min narrheit loszt mich nit sin gris.*

[3] *Lont mir min narrenkapp allein.*

[4] *Ritter Peter von Altenjoren*
Ich muosz uch grifen an die oren.

[5] *Narr, losz von solcher fantesi.*

[6] *Mag adel, guot, sterk, jugentzier*
han frid und ruo o todt vor dir?

tuum »[1] proclamat poeta. Denique in primo ejusdem capitis versu scriptor lectores allocutus dicit : « Decipimur amici[2]. » Commemoremus autem præcipue caput undecentesimum ubi, dum multa de damnis disserit quæ *mahometani* religioni christianæ fecere et regiones enumerat quibus Christianos spoliaverunt, Romam subito compellat et, historia urbis breviter relata, ei demonstrat quindecimum jam seculum dominationem ejus constanter esse deminutam.

Aliis contra in locis, *Brant* non ipse loquitur, sed eos contra quos facit vult loqui, velut in capite centesimo quinto longum explicat sermonem quo improbi, probis illudentes, eos a bono honestoque in pravum abstrahere conantur. Omnia ea elucet propterea usurpari a scriptore nostro ut sermo varietate distinguatur et perpetuæ orationis tædium auctor effugiat.

Sed similitudinibus præcipue et translationibus usus, Sebastianus *Brant* orationem variat et verborum gravitatem et copiam assequitur. Sciebat enim eum qui homines ad bona honestaque cohortatur, nisi vana surdis auribus canere vult, oportere consilia sapientiæ molliter interpretari verbisque jucundis explicare, imaginibus contra acribus demonstrare quot et quanta mala ex improbitate et stultitia exsistant. Nonnulla exempla e multis aliis electa satis probabunt quam perite et frequenter *Brant* imagines illas usurpaverit. In ejusdem scilicet capitis nonagesimi noni, in quo supra multa dicendi artificia et interlocutiones notavimus, versibus septuagesimo quinto et insequentibus, auctor Christianos qui progredientes Turcas æquis oculis adspiciunt vicissim bobus assimilat qui se a lupo trucidari patiuntur, tum domino qui incendium imminens restinguentibus non ante operam dare vult quam sua ardeat domus. In capitis autem sexti versibus 15-19 his imaginibus disciplinam plurimum habere apud adolescentes

[1] *O dot, wie stark ist din gewalt* (v. 35).
O dot, wie gar hert ist din nam (v. 37).

[2] *Wir werden btrogen, lieben frünt.*

auctoritatis, eaque mores informari indicat: «Quæ res in vasa recentia funduntur, earum saporem illa jam non amittunt. Novellus ramus inflecti potest; si veterem inflectere conaris, dissilit[1].» Deinde ut significet hosti crudeli esse lætitiæ prædam oblatam quam blandimentis se decepturum sperat, dicit: «feles muribus blande arridet[2].» Tum quemdam rem suam non feliciter esse gesturum indicat *Brant* cum, sordide locutus, dicit eam cancri instar esse progressuram[3]. In translationibus quoque usurpandis, auctor noster sordem verborum non refugit, quippe qui quosdam homines præmature ætate confectos quod voluptatibus nimis indulserunt describens dicat: «Eorum genæ et cutis pariter vacuæ sunt ac si simia eorum mater esset[4].» Simiis itidem assimilat homines, quod attinet non ad corpus sed ad intellectum, cum nonnullos clericos commemorat a litteris alienos: «Quare nunc tam multi sacerdotes inveniuntur adolescentes qui pariter rudes sunt ac simii[5].» Quin etiam fit nonnumquam ut *Brant* in eodem capite eadem translatione bis usus, eam paululum immutet. Velut in capitis nonagesimi quarti procemio, auctor declarat stultum qui alienas hereditates se consecturum speraverat sæpe ante eos mori a quibus hereditatem sibi venturam cogitaverat, quod per translationem significat, dicens eos ossibus ipsius nuces esse decussuros[6]. Paulo infra, simillima usus imagine, affirmat stultum sperare se hominem quem-

[1] *Was man in nüe häfen schitt,*
den selben gsmuck verlont sie nit.
ein junger zwig sich biegen lot,
wann man ein alten understat
zuo biegen, so knellt er enzwei.

[2] *do lacht die Katz die müs süsz an* (33, γ).

[3] *des anschlag wurt uf krebsen gon* (57, γ).

[4] *ir backen und hüt sint so lär*
als ob ein aff ir muoter wär (36, 19-20).

[5] *des findt man ietz vil junger pfaffen*
die als vil künnen als die affen (73, 16-17).

[6] *mit sim gbein nüsz werfen ab.*

dam sepulchro impositurum esse qui ipsius ossibus pira decutiet [1].

Sebastianum *Brant* præterea non fugit verborum geminationes, dum sermo aliquo modo varietur, dicendi genus facere copiosum et forte. Velut commoda enumerans quibus homines hic in terris frui possunt, dicit : « Res laudabilis est nobilitas, sed externa, nec tua : a parentibus venit tuis. Res pretiosa sunt divitiæ omnino, sed fortuita, quæ sicut pila lusoria ascendit descenditque vicissim. Res lepida est gloria mundi, sed inconstans et quæ sæpissime deficiat [2]. » Consulto usurpavisse auctorem in hoc exemplo ter idem vocabulum modico intervallo manifestum est, nec minus elucet eum curavisse ut duos versus interponeret ne vocabulum nimis sæpe iteratum lectori esset fastidio. Pariter *Brant* locutiones similes varietate distinxit in capite tredecimo in quo, ut incommoda illustret quæ amor vetitus secum trahit, multos viros feminasque enumerat qui miseriis pressi sunt quod, voluptatis capti dulcedine, libidinibus se tradiderunt. Locus longior est quam ut proferri possit, nam viginti sex versus continet, atque cum una enuntiatio totum complectatur locum, recidi non potest.

Hæc exempla satis probant scriptorem nostrum variavisse orationem, cum modo elate dicat, modo simpliciter, quin et sordide, quamquam fines illos numquam transgressùs est

quos ultra citraque nequit consistere rectum.

Tum translationibus et similitudinibus usus, orationi splen-

[1] *hofft einen tragen hin zuo grab*
der mit sim gbein würfft bieren ab (94, 7-8).

[2] *ein löblich ding ist edel sin,*
es ist aber frömbd und nit din,
es kumbt von dinen eltern har
ein köstlich ding ist richtum gar,
aber das ist des glückes fall,
das uf und ab danzt wie ein ball;
ein hübsch ding der welt glori ist,
unstantbar doch, dem alzit gbrist.

doris aliquid accessivit, et omnino fastidium effugit quod tam facile ex ejusmodi materia poterat exstare, denique elocutionis alacritate et fervore suum fecit opus cujus elementa a diversissimis sumpserat scriptoribus. Superest postremo ut artem metricam apud *Brant* exploremus et versuum leges atque modificationes in *Navi stultifera* consideremus.

Ac primum quidem, versus qui in libro occurrunt quem evolvimus dimetri sunt iambici, quibus syllaba nonnumquam adjicitur muta, ut modo octo, modo novem exhibeant pedes, velut in his exemplis :

Vor hab/ ichs nar/ren schiff/ gedieht (Prot. I),
Das man/ sie nit/ durfft an/ders ba/den (Prot. 4).

In nonnullis versibus decem quasi exstare syllabas probat hoc exemplum :

Und das/ mit do/ren al/so gela/den (Prot. 3).

Sed re vera *e* vocalis syllabæ *ge* elidi debet quo fit ut, subtracta hac syllaba, novem tantum pedes restent. Frequentissimi sunt ejusmodi versus in quibus syllabam elidi opus est quæ *e* vocalem exhibet, præcipue syllabas *be* et *ge*, sicut in exemplo supra prolato. Sed aliæ quoque syllabæ haud raro sunt elidendæ, velut in his versibus :

Wo üb/erseh(e)n / er sich / mag han (112, 26),
Vil hud/(e)len muosz / man dar / jn stoss/en (95, 10).

Elidenda est etiam prima syllaba vocabuli *caracter* in cap. 65 v. 47 :

Mit c(a)rac/ter sæ/gen treü/merbuoch.

Non est miranda autem hæc elisio, cum in cap. 38 v. 35 ejusdem vocabuli prior *a* vocalis ne scripta quidem exstet :

Mitt krac/ter und/mitt nar/ren wurtz.

Simili modo syllabæ derivativæ *ig* vocalis *i* sæpe eliditur, velut in his versibus :

Eyn nuw/er heyl(i)g/heisszt Gro/bian (72, 1),
Die heil(i)g/erd und/das glob/te landt (99, 162).

Hæ quoque elisiones non sunt mirandæ, si versum tricesi-

mum secundum capitis centesimi tertii comparamus, in quo *i* vocalis syllabæ *ig* abest:

Dann sie/der heilg/geist selb/duot le/ren.

Sæpissime autem in versibus scandendis *e* finalem esse elidendam ex his exemplis manifestum fit:

Eyn e/r(e) was ett/wan tra/gen bert (4, 3),
Dar un/der wer/den lüs(e)/nit dür (4, 14).

In contrarium suppleri debet in nonnullis versibus *e* aut *i* non scripta, velut in his:

Spricht das/es sint/die fræsch/g[e]sy/n (27, 22),
Nit wel/len gstat/ten so/[i]ch schand (92, 152).

In priore versu legendum est *gesyn* pro *gsyn*, in altero *solich* pro *solch*, ut uterque plenus sit.

Deinde versus non frequentes desiderant ut exitus *en* infinitivi elidatur ne versus sit immodulatus. Sic in versu 16 capitis 95, ut numerosus sit, auferenda est terminatio *en* infinitivi *schlemmen*:

So fyndt/man by/jn schlemm/(en) und brass/en.

In nonnullis denique versibus pes videtur exstare supervacuus quod vocabula quædam sunt inclinativa; talis est primum articulus definitus qui dicitur, velut in hoc versu:

Dem fall/en spæn in/d(ie) ou/gen vil (19, 78).

Deinde pronominum *es* et *sie*, quorum vicem explere sæpe litteram *s* supra notavimus, vocalis, quamquam scripta exstat, in scandendo versu est elidenda. Tales sunt versus qui sequuntur:

Der næm/eyn gross/er wen (e)s/jm wurd (20, 28),
Und kla/gent sich/als we/rent s(ie) arm (63, 15).

Non ita raro autem elidendam esse vocalem *a* particulæ adverbialis *dar*, rarius diphthongum *uo* præpositionis *zuo* demonstrant hæc exempla:

Was halff/der turn/d(a)rynn Da/næ ging (32, 11),
Er spott/der wy/sen z(uo) all/er zyt (42, 10).

Videtur denique forma verbalis *ist* nonnumquam esse inclinativa, velut in cap. 36 v. 28:

Den rock/gar offt/der do ist/on nat.

His de pedum numero dictis, notandum est poetam nostrum eos simpliciter numerare, nec tonum nec prosodiam ullo modo respicere. Proferamus exempli gratia versus qui sequuntur in quibus positio (thesis) in syllabam elevatam cadit, sublatio (arsis) contra in syllabam quam elevari non fas est :

*Man*cher/*sollt zuo/der kyr/chen gan* (95, α),
*Das synt/bur*ger/*zuo Aff/enberk* (95, 1).
*So synt/die wyn/hu*ser/*schier voll* (95, 18),
*Und spa/ren vil/uff den/fyr*tag (95, 60).

Observandum est autem hanc licentiam in primis versus pedibus frequentius occurrere quam in ultimis, et in capitibus alterius partis libri sæpius exstare quam in prioris.

Sed auctoris nostri versus non scanduntur tantum, sed bini etiam similiter desinunt. In prooemiis autem exstant fere per totum opus versus terni qui eumdem referunt in cadendo sonum. Cum raro contra in ipsis capitibus cadant versus terni similiter, mirandum est quam frequenter exstent hujus licentiæ exempla in posteriore parte operis, cui multa testantur auctorem minore studio et animo incubuisse quam priori. Denique capitis centesimi octavi versus quatuor (102-105) similiter cadunt. Quod ad ipsum versuum exitum similem attinet, observemus primum poetam nostrum, syllabarum prosodia nullo modo respecta, non dubitare breves cum longis permiscere, quasi similiter caderent. Sed versus ejus multo etiam magis incondite desinunt. Supra enim notavimus quam licenter *Brant* usurpet sonos, quantum permisceantur in *Navi Stultifera* vocales quas usus mediævalis diligenter inter se separabat : eamdem licentiam autem exhibent versuum exitus qui frequentissime parum recti appellari debent. Sed cum exempla multa protulerimus in ea libelli nostri parte ubi de vocalibus egimus, nunc nobis exemplorum numerum deminuere licebit. Licenter igitur consonant apud *Brant* hæ vocales :

â : ô; hat : dot 9, 25.
â : o; hat : got 9, 31.

â : ou; gestrofft : abkoufft 83, 19 (semel).

â : uo; underston : getuon 24, 3.

a : o;[1]

a : ô; dran : Salomon 17, 9.

e (æ) : ö (œ); setz : gœtz 46, 13. — *sæck : rœck* 6, 65.

e : œ; verr : hœr 111, 60.

ê : ö (œ) sel; œl 106, 11 (*semel*).

ê ; œ; ler : hœr 6, 11.

ei : œ; heiszt : erlœszt 108, 82[2].

ei : öu (eü); freüd : leydt 83, 102.

î : iu (ü); zyt : lüt 57, 71.

i : ü; kynd : sünd 6, 25.

i ; iu (ü); kynd : fründt 77, 94.

i : üe; jrrt : fuert 76, 49.

ie (ye) : ü; für : thyer 56, 31.

ie : üe; regiert : verfuert 46, 35.

o : œ; wort : gehœrt 13, 17.

o : ou; doch : ouch 67, 80.

û : iu (ü); krutt : hütt 13, 93.

u : ü; lufft : klüfft 15, 13.

u : iu (ü); spruch : üch 21,17 (*semel*).

üe : uo; duon : suen 87, 30 (raro).

Quod ad consonarum deinde usum in exitu versuum attinet, ad ea quæ de consonis generaliter egimus rejiciemus et pauca tantum proferemus exempla. Notemus primum litterarum abscissiones et concisiones, quas supra commemoravimus, in exitu versuum quoque exstare : consonat sic vox *nochgründ* (specularetur) pro *nochgründete* usurpata cum vocabulo *fünd* (inveniret) 51, 15. Consonas *n* et *m* deinde eumdem referre nonnumquam

[1] Hujus licentiæ exempla in iis præcipue versibus exstant quorum alter vocabulum *von* (ac) exhibet. Notandum autem est, apud nonnullos scriptores qui merum sequuntur usum mediævalem, qualis est *Gottfridus Argentinensis*, exstare in hac præpositione *a* vocalem, non *o*.

[2] Sed locus hic ambiguus est, quoniam vocabulum *erlœszt* cum *bœsz*, quæ vox versus præcedentis exitum facit, jam consonat; quare fieri potest ut *heiszt* cum versu quodam consonaverit qui periit.

in cadendo sonum demonstrat exemplum *malfortun* (infortunium): *kum* (vix) 108, 35. Permiscentur simili modo mutæ gutturales et dentales mediæ cum tenuibus, velut in his exemplis: *fründ* (amici): *sint* (sunt) 17, 21. — *bringt* (affert): *usztrinckt* (exhaurit) 16, 55. — Deinde, cum in scribendis vocabulis *Brant* sibilantes confundat, non mirabimur eamdem exstare in versuum exitu confusionem. Consonat sic *krus* (crispus) cum *usz* (ex) 4, 11; *zerblosen* (flatu distendere) cum *anstossen* (inflammare) 110[a], 35; quin etiam consonant *z* (*tz*) et *s* in vocabulis *sapienz* (sapientia): *orliens* (Aurelianum) 92, 15; *smaltz* (adeps): *hals* (collum) 4, 5; 14, 1; et *ist* similiter desinere videtur ac *vermischt* (permixtus) 72, 58.

Nullum autem sonum *Brant* in exitu versuum licentius tractavit quam *h* vel *ch*. Quod primum vox *schuoch* (calceus), cujus biconsona finalis sine dubio non efferebatur quoniam sæpe scriptura non exprimitur, cum vocabulo *tuoch* (pannus) 4, 17 consonat cujus biconsona *ch* certo pronuntiabatur, non mirandum est, quandoquidem oculis non auribus scriptum est. Nam cum in cap. 16 v. v. 1-2 *schuo* (calceus) et *ruow* (quies) similiter cadant, manifestum est neque *ch* finalem vocabuli *schuoch*, neque *w* finalem vocis *ruow* tunc temporis pronuntiatione esse elatas. Sic concludere eo magis fas est quod in cap. 85 v. v. 67-68 *ruow* et *zuo* (ad) similiter consonant. Multo autem magis est insolens quod *schossz* (sinus) et *ochsz* (bos) 50, 9 consonant, necnon quod consonant *dott* (mors) et *brocht* (allatus) 66, 103; nam in altero utriusque exempli vocabulo negligitur omnino biconsona *ch* quæ tamen certo pronuntiabatur. Non minus singulare est *w* et *g* similiter cadere in cap. 18 v. v. 21-22 ubi exstat: *understrowen* (extendere): *ellenbogen* (cubitus).

Denique notandum est consonas *b*, *d*, *t*, *n* nonnumquam in exitu versuum omnino negligi. Cadunt sic similiter *læstrygonum* et *umb* (circa) 108, 63. — *mutzt* (ornat) et *tuotz* (= *tuot es*, id facit) 92, 41. — *Charibd* et *trib* (tractus) 108, 37. — *eyns* (unus) et *geisz* (capra) 61, 29.

Quamquam ex his manifestum fit in versibus componendis Sebastianum *Brant* multa fecisse licenter, non ideo putandum est carmina ejus fuisse incondita, quoniam quæ in versibus sunt enormia eo efficiuntur quod temporibus illis ipsa dicendi norma non satis certa exstabat. Nam ars metrica auctoris nostri ad summam, si confusum temporis illius usum consideramus, et accurata est et sibi constat. Multo ante et post eum nullus exstiterat aut exstitit poeta qui versus tam diligenter elaboratos ederet, cujus oratio tam proclive curreret, numero non impedita. Quare non sine jure poeta noster in Protestatione sua scripsit: «libro non pudori futurum auctorem[1]», et opus appellavit magnum, laboriosum[2]. Nam certe si sermoni propiora scribit auctor hic, numquam absunt apud eum in condendis versibus studium et diligentia.

[1] *sins dichters darf es sich nit schammen* (v. 36).
[2] *min grosz muegsam arbeit* (v. 39).

Vidi ac perlegi,
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,
a. d. VIII kal. feb. anni MDCCCLXXXIX.

Facultatis Litterarum in Academia
Parisiensi decanus,
A. HIMLY.

Typis mandetur.
Academiæ Parisiensis rector,
GRÉARD.

Strasbourg, typ. G. Fischbach. — 3988.